







VITA ET MERITA
RUDOLPHI AGRICOLAE.

1830

VITA

ET

MERITA

RUDOLPHI AGRICOLAE.

Multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: AGRICOLA posteritati narratus et traditus superstes erit.
TACITUS.

SCRIPSIT

T. P. TRESLING,
Litt. Humm. et Jur. Rom. Cand.



GRONINGAE
Apud M. SMIT.
1830.

TJALLING, PETRUS, TRESLING

JANO, LAMBERTO, HUBERO

S. D.

Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin valde a te amarer, tamen quotidie magis intelligo, quantum res studiaque mea tibi curae sint. Quum ante hos quinque fere menses, me frustra in certamen literarium descendisse magnaque spe excidisse, ad te scriberem, nemo hoc te tristius tulit. Quum vero me animum nequaquam despondisse sed nimis fortassis audacem in novum extemplo certamen transiliisse et ad quaestionem historicam in Academia Rheno-trajectina propositam, felici successu, respondisse audires, tantum profecto tuum fuit gaudium, ac si tibimet ipsi magnum aliquod ac singulare bonum obtigisset. Quae quum tantus erga me tuus sit amor, gratum mihi incumbit officium, omnium, quae animo agito, te, quam primum possum, certiorem faciendi.

Anno superiore a nobilissimo, qui Groningae est Phil. Theor. et Litt. Humm. Ordine quaestio proponebatur: »Narratio de vita et meritis RUDOLPHI AGRICOLAE; *quae sit tersae et elegantis Latinae orationis specimen." Illo tempore, tum aliis studiis destrictus, tum in* XENOPHONTE *Ephesio Belgice reddendo occupatus eram. Itaque, quamvis mirifice mihi placeret proposita quaestio, scribendi cupiditatem invitus restinxi.* XENOPHONTE *vero absoluto, eadem cupiditas iterum mihi surrepsit meque vehementer ad scribendum compulit. Quid multa! Manus operi admovi. Responsionem, ut ut impolitam ac tenuem, confeci. In multis quidem — quid dissimulem? — opusculum meum mihi placebat; sed ita tamen comparatum erat, ut alium quempiam commilitonem facile mihi palmam praeripere posse intelligerem. Etenim cum multa alia et vel maxime mea imbecillitas in tanti argumenti elaboratione mihi obstabant, tum* AGRICOLAE *operibus destitutus eram. Neque te praeterit, quam sit difficile, tersam et elegantem Latinam orationem effingere. Itaque nec mea, neque etiam aliae, quae nobilissimo Ordini oblatae erant, responsiones, etsi omnes fere eximie laudarentur, praemio proposito dignae visae sunt. Primum, ubi optima spe me fraudatum esse novissem, hunc rei exitum mi-*

ratus sum et, ut vere dicam, moleste tuli. Postquam vero mentem paullatim recolligere omnemque rem accuratius ponderare coeperam, me de hac re vel minime judicare posse vidi, animi aegritudinem repressi atque opusculum in scrinia reposui. Verum, cum nuper AGRICOLAE *opera omnia divino quodam munere nactus essem et legissem, quem antea jam tantopere adamaveram, virum vehementius etiam admirari et colere coepi. Multo magis etiam, quam antea mihi persuasum habere coepi, tantum ac talem virum copiosam vitae suae et meritorum enarrationem omnino mereri. Mereri autem? immo vero suo jure sibi postulare. — Singulari quidem doctrinae copiâ et varietate inclaruit, multaque scripsit omnis posteritatis admiratione et laude dignissima. Hanc vero gloriam cum innumeris aliis nostratium eruditis communem habet. Longe majora vir immortalis perfecit: Literarum, literarum, inquam, humaniorum studium in Germania Belgioque instauravit. Rudes et agrestes medii aevi homines primus expolivit. — Quid, quaeso, praestantius, quid gloriosius homini accidere potest, quam tanto cives simul et extraneos beneficio obstrinxisse? Itane turpis et supinae negligentiae foret, ne quid gravius dicam, ei, a quo tanta accepimus bona, debitum*

laudis testimonium denegare; praesertim cum eum ab exteris eximie celebrari videamus? Doctissimus BRUCKERUS(*), *ut hunc unum tantummodo testem faciam, in enarrandis vitis et meritis Germanorum, qui eruditione suâ omnium maxime patriae profuerunt, ab* AGRICOLA *nostro orditur eique hanc tribuit gloriam, quod Graecas Latinasque literas in Germaniam induxerit. Quid igitur? Num nos Belgae et in primis Groningani eum, cui exteri primum inter suos eruditos locum designant, prorsus negligemus? Num nos, nescio cui incuriae indulgentes, tanti civis vitam et merita non modo non a nobis celebrari, sed paene ignorari patiemur? Minime vero. Sanctum et*

(*) *Videat.* Ehren-tempel der Deutschen Gelehrsamkeit. Augspurg 1747. *Ubi statim nobis in oculos incurrit* AGRICOLAE *pulcherrima Effigies, quae his verbis insignita est:* RUDOLPHUS AGRICOLA Humaniorum Literarum inter Germanos Restaurator. *In ejus vita describenda ab his verbis incipit scriptor:*

»*In der Zahl der grossen Männer, welchen man die Wie-*
»*derherstellung der Schönen und Philologischen Wissenschaf-*
»*ten, als des Schlussels zu den ernstlichen Disciplinen zu dan-*
»*ken hat und welche Deutschlands Ehre von der Barbarey*
»*gerettet haben, stehet* RUDOLPH AGRICOLA *wohl oben an:*
»*Dann ihm hat es Deutschland vornehmlich zu zu schreiben,*
»*dass es hinter die Griechischen und Lateinischen Gelehr-*
»*samkeit, welche so lang vordrungen gewezen, wiederum ge-*
»*kommen ist.*"

jucundum tanto civi persolvendum officium est. Alius, vellem, hoc munus in se susciperet, eruditione scribendique facultate ornatus, a quo absolutius quid et elegantius, quam a mea infantia exspectare liceret. Quum vero neminem noverim, qui animum huc verterit, me prorsus continere non possum, quin foetum meum juvenilem, quem aliquando nasciturum ab initio speravi, quantocyus edam. Quidni facerem? Complures enim iique magnae auctoritatis viri me adhortati sunt, immo et aestumatissimi, quos in literis habeo, praeceptores, viri clarissimi, partim mihi suasores exstiterunt, partim non dissuaserunt. Quod admodum laete fero. Etenim, praeceptoribus suis ingratum esse cum per se sit impium, tum in primis mihi, qui ab iis magna semper benivolentia sim acceptus et, quid iis debeam, ipse praeclare sentiam. Quorum unum virum clarissimum LULOFS, *propter varia beneficia pie debiteque semper a me colendum nuncupasse sat est: qui singulari doctrinâ et elegantiâ suâ tantus profecto exstitit praeceptor, ut qui ejus scholas semel ingressus est, miro quodam ac suavitatis pleno sensu perfusus, immotus docentis ab ore pendat, neque prius ex iis recedere valeat, quam Academiam deserere cogatur. Ne mireris, mi* HUBERE, *ipsum quoque Ordinem consilium meum*

comprobare. Sic enim, ni fallor, existimat, etsi nemo eorum, qui in certamen venerunt, victor declarari potuerit, vehementer tamen optandum esse, ut quaestionis proposito, quocunque tandem modo, satisfiat atque AGRICOLAE *vita et merita enarrentur et in lucem edantur. Quod vero opusculum meum praemio ornari non potuit, nihil impedit, quominus* AGRICOLAE *vita et merita aliquatenus ex eo cognosci possint. Sed alia praeterea, quare hoc facerem, nuper mihi causa allatà est. Postquam enim omnia immortalis viri opera consecutus sum, statim mihi in mentem venit, ratumne esset ea iterum typis exarare et cum literato orbe communicare. Quae quidem editio, cum rarissime veneat liber et in nonnullis tantum patriae bibliothecis Academicis inveniatur, nemini supervacua videri potest. Neque quidquam ad* AGRICOLAE *gloriam devulgandam aptius mihi videtur. Fortassis nimis audax tibi videor, qui tanti operis novam editionem instruere moliar. Sed, amabo te, meum consilium non inconsiderate reprehendas. Nimirum, doctissimi* ALARDI, *Amstelaedamensis animadversiones, quae, etsi inusitatam antiquitatis cognitionem et omnino doctrinam sapiant, tamen multa superflua continere videntur, rejiciam, nihil novi addam atque tantummodo contextum, ut dicitur, dabo. Antequam ve-*

ro hunc laborem suscipio ea, quae de AGRICOLAE *vita et meritis scripsi, publici juris facienda mihi videntur, ut eos, qui haec jam noverunt de novâ, quam paro, editione certiores faciam; eos vero, quibus haec nondum innotuerunt, qualis fuerit* AGRICOLA *quidque de ejus scriptis existimare liceat aliquatenus exponam. Habes igitur rationes, quae me ad opusculum meum edendum impulerunt; quod quare non facerem, nihil video.*

Quaeres fortassis ex me, quid tibi opusculum meum lecturo praemonendum habeam. Quod ad argumentum attinet: AGRICOLAE *vitam et merita tum ex variis scriptoribus, tum ex nonnullis ipsius eximii viri opusculis, quibus uti jam antea mihi licuit, quam potui accurate et copiose enarravi. Neque omnibus ejus operibus hac in re valde indigui, quia alii scriptores et vel maxime* MELCHIOR ADAM *haec omnia fere jam colligerant. Hunc quidem ipsum scriptorem non vidi; sed quae in* Effigg. et Vitis Proff. Acad. Gron. et Omland. *invenitur* AGRICOLAE *vita ex* ADAMO *descriptum esse narrat* BAYLE *in* Diction. *Hanc maxime vitam secutus sum eamque in Annotatione passim laudare supervacaneum duxi. Postquam* AGRICOLAE *opus* de Inventione Dialectices *ipse vidi, quid hac in re praestiterit, copiosius explicare potuissem. Atque hoc quoque aliquando in animo habui.*

VITA ET MERITA
RUDOLPHI AGRICOLAE.

VITA

ET

MERITA

RUDOLPHI AGRICOLAE.

Multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: AGRICOLA posteritati narratus et traditus superstes erit.
TACITUS.

SCRIPSIT

T. P. TRESLING,
Litt. Humm. et Jur. Rom. Cand.



GRONINGAE
Apud M. SMIT.
1830.

tisse video, haud mediocri voluptate pectus mihi perfundi solet: quasi vero hujus tantae gloriae particula aliqua etiam ad me redundaret.

Insignis hujus, quam summorum virorum ubertate patria sibi comparavit, laudis magnam in primis partem *Groninga* (1) prope suo jure sibi vindicare potest: quippe quae, jam inde a renatis literis, tanta capita docto orbi obtulerit, quibus quae opponas, haud facile reperies.

Horum illustri ex ordine primi nobis in animum incurrunt WESSELUS GANSFORTIUS (2) et RUDOLPHUS AGRICOLA. Quorum alter, cum in variis disciplinis, tum potissimum in divinarum rerum doctrinâ, eo pervenit eruditionis, ut omnium aetatis suae Theologorum facile princeps et esset et haberetur. Flagranti enim veritatis indagandae amore mirâque solertiâ totum, qua late patet, Theologiae campum peragravit, vitia, quibus sordebat Ecclesia Christiana, perstrinxit ac insanas, quae verum Summi Numinis cultum inquinabant, ceremonias de sedibus depellere conatus est. Qua in re quid mirere magis, ingenii acumen, an lenitatem, valde dubitas. WESSELUS fuit, qui plurima, a summo LUTHERO aliisque, qui eum sectati sunt, postea in lucem protracta, jam antea divinando invenerit atque tam praeclare exposuerit, ut omnibus, in primis LUTHERO, admirationi esset.

Quare non mirum videatur, tantum ac talem virum ab omnibus aetatis suae hominibus LUCEM MUNDI dictum fuisse, ut pote qui suo doctrinae lumine tenebras, quibus illo tempore Ecclesia Christiana obducta erat, primus discusserit. Alter, quem nuncupavimus, RUDOLPHUS AGRICOLA tanta Graecarum Latinarumque literarum scientiâ inclaruit, ut immundam aevi sui barbariem eruditione ac elegantiâ suâ docto orbi expulerit veramque humanitatem non tantum in patriam nostram, verum etiam in *Germaniam* reduxerit. Mitto REGNERUM PRAEDINIUM (3) Groninganae scholae quondam moderatorem, virum reconditae doctrinae. Mitto HAJONEM HERMANNUM elegantis eruditionis juvenem, quem, quantopere adamaverit, saepius testatus est patriae nostrae immortale decus DESIDERIUS ERASMUS (4).

Quid de JACOBO PERIZONIO (5) dicam? qui accurata instructus doctrinâ, tanto ingenii acumine totam historiam pertractavit, ut, si unum SCALIGERUM excipias, omnes, qui eum hac in re praecesserunt, longo post se intervallo reliquerit. Historia Babyloniorum et Aegyptiorum antiqua usque ad PERIZONIUM neglecta jacuerat. At vero ille, antiquitatis monumenta accurate pervolvens, eo in intimos historiae recessus penetravit, ut arcana quaeque proliceret, vera omnia a falsis

segregaret, singulasque res in ordinem disponeret. Quae omnia non tantum magna nostratium cum comprobatione, sed exterorum quoque cum applausu perfecit. Atqui, tametsi jam scriptis suis insigne nomen sibi comparaverit, docendi munere haud minorem famam consecutus est. Qua in re quid praestiterit, cum magnae studiosorum juvenum catervae, quibus Academia Franequerana, et Lugduno-batava, hoc doctore, affluxerunt tum praesertim, qui ejus ex scholâ prodierunt, viri docti satis superque testati sunt. Quorum inclytam coronam dum cogitatione perlustro, continuo animo obversantur duumviri magni TIBERIUS HEMSTERHUSIUS (6) et ALBERTUS SCHULTENSIUS (7).

Quorum ille et in aliis, quae ad humanitatem pertinent, disciplinis et apprime in Graecis literis talem se ostendit, qualem priora secula nondum viderant, posteriora ut adspiciant, bonarum literarum causâ, magis optare, quam sperare licet. Hic vero, quantus ille in Graecis, tantus in Orientalibus fuit, ita ut ambiguum sit, uter utri hac laude praestiterit. Nullo certe pacto me continere possem, quin copiosius in HEMSTERHUSII de Graecis cum SCHULTENSII in Orientalibus literis comparata merita excurrerem, nisi magnus ille RUHNKENIUS HEMSTERHUSII nomen in elogio suo tantâ elegan-

tiâ celebrasset, ut laudis praeconemne nescias, an quem laudibus effert, magis admirere.

HEMSTERHUSIO et SCHULTENSIO tertius jam accessit, horum aequalis, gloriae socius et, quod eodem tempore contigisse miraculum sane videri potest, etiam civis, HERMANNUS VENEMA (8). Hic mira ingenii solertiâ ac indefessâ industriâ, quae quidquid magnum, quid durum, quidque arduum exantlare valebat, omnes, quos Graecia et Roma nobis reliquerunt, scriptores, immo et patres pertractavit, ex quibus doctrinam prope immensam sibi collegit. Tantis instructus praesidiis animum ad Theologiam applicavit, in qua eo pervenit eruditionis, ut parum absit, quin, quod in illa summum est, attigisse videatur.

Quodsi huic tanto Theologo alium opponere velis, haud facile reperies, nisi alterum HERMANNUM eundemque Groninganum, MUNTINGHIUM (9). Cujus gloria, ut hoc utar, volitat omnium per ora virum, cujus grata memoria ac desiderium Academiam Groninganam, tenent atque diu in posterum tenebunt. Quamvis enim senex mortuus sit, tamen propter exquisitam eruditionem miramque docendi artem videbatur omnino mori non debuisse.

Inter recentia, quae ejusdem Academiae cives intus alunt, vulnera, venerandi senis, summi chy-

mici, DRIESSENII [10] luctus haud minimum censendum est.

Verum enimvero orationem meam, qua in re infinita esse posset, enumerandis excellentibus, quos *Groninga* genuit, viris, jam nimis dilatatam esse sentio. Quod si rite perficere vellem, oratio, immo vero dies citius, quam materiae ubertas deficeret. Etenim multi summae doctrinae praestantiâ cumulati viri, CANTERI [11] ALTINGII [12] HULSHOVII [13] HESSELINKII [14] UILKENSII [15] multique álii etiam superstites, quos omnes enumerare longum sit, valdequam collaudari merentur. Attamen AGRICOLAS habuisse et HEMSTERHUSIOS jam sat gloriae est.

Ex omnibus, quos commemoravi, magni nominis eruditis, RUDOLPHI AGRICOLAE vita ac merita mihi dignissima videntur, quae uberiore ac copiosiore laudis praeconio illustrentur. Si enim variam, quam ille mente complexus est, doctrinam reputemus, quantisque beneficiis, elegantiorum literarum studio restituendo, patriam *Germaniamque* sibi devinxerit, recogitemus, eum principibus nostratium eruditis annumerandum esse cum dico, nemo certe gravabitur. Hujus igitur nomen impensis laudibus in coelum efferendum ac cum omni posteritate adaequandum est.

Quare, quum hodiernus dies dicendi partes mihi

injunxerit, optimi commilitones! RUDOLPHI AGRICOLAE *vitam ac merita* vobis enarrare est animus, Quodsi oratio mea minus limita ac perpolita erit, quam vel argumenti gravitas, vel dicendi munus postulare videntur, huic tenuitati meae vestrâ in humanitate ne desit praesidium, rogo vos atque obtestor.

Quod celebres multae atque copiosae *Europae* urbes maximam semper gloriam sibi duxerunt; principem doctrinae praestantiâ aliquem habuisse virum, id parvo tractus Omlandici pago *Baffloni*(16) contigit. Hic enim RUDOLPHUS AGRICOLA (17) loco, uti videtur, haud ignobili in lucem editus est.

In primo aetatis actu luculenta jam felicis ingenii specimina dedit, ex quibus, quisque facile augurari posset, praeclarum quid aliquando ac singulare in eo exstiturum. Puerulus, quum iis artibus, quibus haec aetas ad humanitatem informari solet, imbueretur, tantâ erat sedulitate tantaque ingenii alacritate, ut brevi tempore omnibus commilitonibus longe anteverteret et magister, quod eum doceret nihil amplius reperiret. Itaque evenit, ut, quod postea orbi erudito, in scholis jam commilitonibus exemplar esset, in quod omnes intuerentur, quodque sibi semper ob oculos ponerent, ut optimam, quae ad variarum disci-

plinarum cognitionem ducit, viam mature inculcarent.

Postquam ex hisce tirociniis excessit AGRICOLA, *Lovaniam*, illius temporis unicam fere in patriâ elegantioris doctrinae vindicem, venit. Haec urbs, eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluens, Belgas, immo et Germanos Gallosque in suum eruditionis quasi emporium alliciebat. Neque enim juvenes ibi variis disciplinis ac literis tantum, verum etiam morum cura (18) ad veram humanitatem conformabantur. AGRICOLA igitur *Lovaniam* venit ibique in paedagogium CACABI (19) in quo ante omnes disciplinas, dialectica excolebatur, receptus est. Jam statim ARISTOTELEM arripuit atque optima quaeque disserendi praecepta ex eo collegit. Quo factum est, ut singulari argumentandi subtilitate et acumine omnes alios, stupentibus praeceptoribus, celeriter antecelleret. Verum optime jam diu perspexerat ingeniosus juvenis, omnem eloquentiam a copiosâ et ornatâ dicendi facultate repetendam esse. Jam diu CICERONIS ubertatem, sermonis nitorem, simplicitatem, QUINCTILIANI perspicuitatem et facundiam adamaverat. Igitur nihil antiquius, nihil optabilius habuit, quam ut hisce ex limpidis ac pellucidis germanae orationis fontibus masculam eloquentiam hauriret. Quod consilium, nolite quaerere, quam

egregios effectus habuerit. Neque enim antiquorum venustatem, lumina veneresque degustabat tantum et animo infigebat; sed etiam de his, quae a praeceptoribus in scholis acceperat, copiose scribere seque ad optimorum scriptorum imaginem efformare tentabat. Itaque brevi tempore factum est, ut omnes dicendi arte antecederet simulque felici quadam velut contagione politioris styli amorem in commilitones suos transfunderet.

In scholasticis disputationibus adversariorum argumenta diligenter examinabat et ponderabat. Deinde, si quid refellendum erat, mirâ subtilitate et argumentandi dexteritate refutabat. Nil, nisi praemeditatum, absolutum, bene vinctum exibat ex ore, nil, quod non facile acerrimum ingenium proderet. Veruntamen, quamvis, et sagacitate suâ et dicendi copiâ adeo omnibus praevaleret, ut nullo negotio adversarii impetus frangeret, dictio ejus tamen nihil ostentationis, nihil arrogantiae vanitatisve spirabat. In vultu disserentis grata quaedam festivitas, comitas victoriaeque fiducia splendebat. Vox gravis, quam ipsae Pierides modulatae erant, aliquando elatior paullo, aliquando remissior ex intimo pectore dulces voces edebat. Etenim, ad Musicen cum naturâ propenderet, eam *Lovaniae* diligenter excolere coepit atque in eâ saepius stu-

diorum quandam relaxationem ac quasi requiem sibi paravit. Nec minore voluptate canendo, quam dicendo limatiores aures afficiebat. Flatu etiam pulsuque suavitatis plenos sonos mira arte proferebat. His jam mature poëseos studium adjunxerat, praeclare intelligens, haec omnia ad Platonicam illam Musicam pertinere atque quodam societatis vinculo cum eâ devincta esse. Duodecim fere annos agens, ut traditur, RUDOLPHI DIEPHOLTII, episcopi Trajectini, sepulcrum epitaphio satis eleganti condecoravit (20).

Eodem paene tempore Gallici sermonis gracilitas AGRICOLAM allicuit. Quam brevi eo usque percepit, ut Hannoniorum loquendi duritiem ac rusticitatem diligenter devitans, dulcem hujus linguae suavitatem aulicamque ipsam elegantiam rite teneret.

Studiis Academicis absolutis, cum omnia, quae *Lovaniae* tradebantur, jam prorsus calluisset, summos Liberalium Artium Magisterii honores petivit, quibus unâ omnium praeceptorum voce dignissimus judicatus est (21).

Fama jam late percrebuerat, *Lovaniae* juvenem, masculâ eruditione instructum degere. Itaque factum est, ut undique eum spectatum venirent eumque ad honestissima docendi munera obeunda expeterent. At vero ille, omnia opum

blandimenta omniaque praemia respuens, altiora moliebatur. Etenim *Galliam* et in primis *Italiam*, optima quaeque ad elegantiora studia excolenda subsidia suppeditantem, spectabat.

In *Italia* illo tempore Latinae Graecaeque literae cum philosophiâ et eloquentiâ vehementius, quam in aliis orbis terrarum partibus, excolebantur. Omnis doctrinae lux, quae in Oriente occiderat, in Occidente, novo quodam fulgore splendens, denuo exorta erat. *Italia* jam diu PETRARCAM (22) suum, divinum virum, viderat, qui AGRICOLAE in multis haud dissimilis, bonarum literarum studium primus in patriam suam reduxit. PETRARCAE accesserat BOCCACIO (23) qui si forte doctrinâ, certe non industria, PETRARCAE se inferiorem praestitit. Illustres hi duumviri suum non tantum literarum amorem in Italos transfuderunt, sed ingentem quoque classicorum scriptorum numerum a soricum morsibus ac importuno interitu servarunt et vindicarunt. Quapropter tantum grati animi sensum iis debet omnis posteritas, quantum exprimere nulla valet oratio. Horum virorum praeceptis et exemplo admoniti, alii eximii viri eandem gloriae et virtutis viam fausto pede ingressi sunt, elegantiorumque literarum studium latius provexerunt.

Quamvis jam PETRARCA et BOCCACIO Graecas

literas in *Italiâ* instaurare conati essent, hoc tamen perficere non potuerunt, quippe quae ex ipsa *Graeciâ* repetendae essent. Itaque nonnulli eruditi Graeci, inter quos eminet MANUEL CHRYSOLORAS, in Italiam transeuntes, Graecas literas pedetentim secum ducere coeperunt, donec magna in Oriente rerum conversio eorum conatibus insigne adjumentum attulit.

AMURATHI enim (a. MCCCCLI) in Turcorum imperio successerat MUHAMEDES, patre bella gerendi cum cupiditâte, tum gloriâ haud inferior. Igitur vix ad summun imperium escendit, cum gravissimum bellum Christianis inferre, labentemque Orientalis Romanorum imperii sedem evertere constituit. Quod tam felici successu perfecit, ut biennio praeterlapso (quarto Kal. Maj. à MCCCCLIII) *Constantinopolin* expugnaverit Romanosque imperio exuerit. Verum enimvero, cum armis, teterrimam quoque barbariem in Orientale imperium induxit dulcesque Musas fugam parare coëgit. Quo factum est, ut innumeri viri docti *Graeciâ* relictâ, se in *Italiam*, ubi tranquillior rerum status literarum studiis favebat, receperint. Hos inter erant THEODORUS GAZA, GEORGIUS TRAPEZUNTIUS, JOANNES ARGYROPYLUS et JOANNES LASCARIS.

Sedecim fere saecula praeterlapsa erant, post-

quam Graecorum literae et doctrina rudia Romanorum ingenia ad humanitatem efformaverant. Hinc aliquando, Graecorum exemplis usos ac disciplinâ imbutos, suos PLATONES, DEMOSTHENES, HOMEROS, PINDAROSQUE *Roma* viderat. Verum ingentes, quibus Romana civitas exagitata fuit, calamitates, morum pravitas, immanium denique populorum incursiones horrendam istam primaevam barbariem jam diu in *Italiam* reduxerant. Itaque *Graecia* iterum, per exsules eruditos, elegantiorum literarum disciplinarumque lumine *Italiam* illustravit. Ante omnes vero THEODORUS GAZA, ARISTOTELIS scripta enarrans, Dialectices et Philosophiae studium *Ferrariae* instauravit.

Ante PETRARCAM Latinus sermo putidus diu, obsoletus parumque expolitus jacuerat. At vero hujus eruditione ac operâ ex diuturno quasi somno expergefieri atque diligentius in *Italiâ* excoli coepit. Ipsi quidem PETRARCAE ingentis laboris fructus uberrimos videre non licuit. Hi enim diu post ejus obitum, cum bene et eleganter dicendi studium omnes tenebat, demum ad maturitatem pervenerunt. Qua in re ANGELUS POLITIANUS, JOANNES PICUS MIRANDULANUS, HERMOLAUS BARBARUS et LAURENTIUS VALLA ita excelluerunt, ut QUINCTILIANI veluti et JUVENALES redivivi evaserint. *Ferrariae* tum in primis STROZZI poëta,

Hunc igitur AGRICOLA continuo, ubi *Ferrariam* advenit, amicitiae ac familiaritatis vinculo sibi conjunctum habuit. Hujus rogatu adductus saepius orationibus suis luculenta masculae eloquentiae specimina Ferrariensibus dedit AGRICOLA, quorum, etsi nulla nobis admiranda supersit, nisi ea, qua philosophiae aliarumque artium studium diserte commendat, jam satis intelligere possumus, quanta voluptate limatissimas Ferrariensium aures orator affecerit. Genus dicendi ornatum, praemunitum, nihil ut jucundius, nihil ut evidentius excogitari possit. Oratio pura, elegans, conspersa quasi verborum sententiarumque floribus facileque optimum, ex quo deprompta est, Latinitatis aevum prodit.

Exsurgant, quaeso, insani isti rabulae, qui absolutam optimarum artium doctrinam prae se ferunt, philosophiamque, quam ne norunt quidem, temere in contemtum vocare ac furibundi allatrare audent! AGRICOLAM, quaeso, divinae hujus artis patrocinium suscipientem, ejusque praestantiam copiosâ oratione celebrantem, audiant et nisi omnem humanitatis veritatisque sensum exuerint, perversam suam vituperandi rationem, quam primum exsecrabunt. Ab illo rudis aevi oratore eodemqne optimo philosopho importunae rabiei medelam repetant veramque artis, quam diu

aspernati sunt, indolem, gravitatem dignitatemque edoceantur et aut fallor, aut in ejus castris militare vehementer concupiscent. Tanta ad persuadendum, tanta ad adversariorum evincendos animos in ejus oratione regnat vis et efficacia. Quae cum ita sint, quis etiam miratur, AGRICOLAE eloquentiam Italorum animos vehementi admiratione dicam, an invidiâ implevisse? Multi enim eorum aegre ferebant, Germanum omnes Italos dicendi laude antecedere et valde timebant, ne hujus artis principatus ex *Italiâ* in *Germaniam* transferretur. Neque inconsultus erat Italorum timor. Etenim AGRICOLA, etsi suam ipsius eloquentiam non tanti faciebat, ut cum Italis de palmâ contendere se posse facile crederet, exemplo tamen et praeceptis suis Germanis ad tantum honorem viam patefecit (25).

Accedebat etiam ejus orationi, quo mirifice auditoribus placebat. Scilicet externâ, ut dicitur, eloquentiâ adeo inusitatâ instructus erat, nemo ut ante eum Germanus.

ERASMUS noster, si quis unquam, totius linguae Latinae naturam, copiam veneresque adeo tenebat, ut unus omnium aptissimus videretur, qui felicem CICERONIS speciem referret. Attamen voce quodammodo absonus, vultu motuque corporis ita vastus et agrestis erat, ut, etiamsi ejus oratio

mirâ arte et ingenio composita luminibusque esset affluens, in optimorum oratorum numerum venire non potuerit. Quare, cum saepius rogatus esset, ut in *Italiâ* eruditionis et eloquentiae suae insignia dicendo ostenderet, hoc semper, ne se Italis deridendum praeberet, recusavit.

At vero, quae ERASMO deerant, tanta in AGRICOLA conspiciebantur, ut fieri vix posse videretur, quin Itali perfecti cumulatique oratoris imaginem in eo agnoscerent. Linguae enim solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis cum singulari sermonis suavitate et elegantiâ conjuncta tanta in eo emicuerunt, ut nihil politius, nihil ab omni parte perfectius exspectari posse videretur.

In disputationibus quotidianis, pro ingenii acumine et doctrinae copiâ accurate, diserte ac subtiliter res suas agebat. Si quid defendendum erat, suo se pondere facile sustentabat, oppositorum argumenta, si aliquâ parte manca reperiret, acriter convellebat, infirmabat suamque ipsius sententiam strenue stabilibat. Sin vero aliorum quaestio quaepiam evertenda proponeretur, intentis viribus in eam irruebat, undecunque argumenta repetens, quae quot quantaque ei omnis antiquitas, quacum arctissimam familiaritatem contraxerat, suppeditarit, quisque facile conjiciet. Quodsi

res forte postularet; ut in utramque sententiam disputaretur, haud minor ejus erat agilitas; tametsi disceptandi spinas atque aculeos diligenter evitaret. Oderat perversam aevi sui disputationem, angustam istam atque concisam, in nugas et quisquilias dilabentem inque jejunâ verborum concertatione haerentem.

Praeter alias multas, quae ad doctrinam et humanitatem spectant, artes, Musicen *Ferrariae* magnopere excoluit. Italorum indoles et est hodie et olim erat in graciles Musas prolixior. Verum illo tempore, quo AGRICOLA in *Italiâ* degebat, Ferrarienses ante omnes Musicen in deliciis suis habuerunt; qui eorum amor eo acrior erat, quo major HERCULES ESTENSIS hujus artis fautor atque sectator existebat (26). Atque cum AGRICOLA in hac arte non mediocriter esset versatus, insigne etiam inde, quae eum inter et elegantissimum ducem aderat, necessitudo incrementum cepit. Quae enim major, quaeve jucundior esse potest amicitia, quam quae morum studiorumque similitudine conjugata est. Germanorum Musica illis temporibus pingue quoddam et asperum sonabat, nec limatiorum hominum aures magnopere demulcebat. Quare, cum AGRICOLA voce, flatu pulsuque tantâ suavitate caneret, ut ejus sonora politissimis Italis perquam placuerint ac ipse non

in ultimâ *Frisiâ*, verum in ipsâ *Italiâ* natus educatusque iis videretur, hac quoque in re magnificam eorum laudem atque admirationem sibi comparavit. Atqui AGRICOLAE quoque pergratum accidit, quod invenerat, qui hancce ejus facultatem percipere atque censere poterant, eique optima quaeque ad imitandum exempla et ad proficiendum praecepta tradebant.

Itaque non est mirandum, et Ferrarienses tanti viri in patriam reditum vehementer doluisse, et AGRICOLAM, quemadmodum de HANNIBALE narratur, invitum moerentemque ex *Italiâ* decessisse. Etenim omnes, qui elegantiores literas adamabant, integerrimâ amicitiâ sibi devinctos habebat AGRICOLA. Horum consuetudo studiis ejus ac ingenio magnopere favebat dignamque offerebat palaestram, in quâ vir doctissimus vires suas periclitaretur. Verumtamen inexhaustum peregrinandi urbesque visendi studium Ferrariensium urbanitas nondum retardaverat. Post duorum igitur annorum in amoenissimâ urbe commorationem, alias *Italiae* partes aliasque urbes brevi tempore perlustravit. Famae celebritate cum jam esset absentibus notus, magna ubique tanti hominis erat exspectatio, major etiam ipsius adventus laetitia atque doctrinae admiratio ([27]).

Relicta *Italiâ*, in patriam reversus, multa eaque

honorifica munera ei oblata sunt; quae vero omnia humane recusavit. Nullis publicis negotiis, ne studiis suis obessent, verens, se implicari patiebatur. Satius enim ducebat, liberam vitam degere literisque elegantioribus omnem operam navare, quam amplissimis honoribus stipendiisque laute frui. Interea variis in locis, maxime *Groningae* et *Noviomagi* domicilium, vel, ut ita dicam, diversorium suum habuit. Tandem vero Groninganus senatus ab eo impetravit, ut syndici (28) sive consiliarii officia sibi obtrudi pateretur. Quum enim hujus provinciae cura non multum temporis sibi deposceret, hujus senatus rogationibus non amplius resistendum esse putavit. Sed accedebat etiam, quo magis urbs patria ei arridebat. WESSELUS enim GANSFORTIUS, quocum et amicitiae necessitudine conjunctus erat et sapientiae ardore mirifice conspirabat, *Groningae* aetatem agebat. Quid, quaeso, AGRICOLAE, postquam *Ferrariam*, optimam illam Musarum sedem, deseruerat, jucundius, quid optabilius utiliusve accidere poterat, quam tanti socii quotidianus usus ac familiaritas? — Etsi eruditionis copia in utroque fere par esset, diversa tamen erat studiorum ratio. WESSELUS quidem et Graecos et Latinos scriptores fere omnes perlegerat et utramque linguam satis accurate noverat. Verum AGRICOLA

omnia antiquitatis monumenta summâ diligentiâ lectitaverat multaque, quae ad historiam, philosophiam, dialecticam spectant, excerpserat magisque in interiorem harum linguarum naturam penetraverat. WESSELUS in Hebraïcis literis omnem operam posuerat, quippe quae ad Theologiae studium impense ei inservirent. AGRICOLAE vero ad tantum doctrinae fontem aditus tum etiam praeclusus erat. Uterque philosophiam valde adamabat naviterque excoluerat. AGRICOLA summe antiquam illam Platonicam et Aristotelicam cum Stoïcâ, Cyrenaïcâ, Italicâ aliisque comparatas pervestigarat (29). WESSELUS omnem philosophiam ad Theologiam applicaverat, PLATONEM vero prae aliis philosophis admirabatur eumque, utpote omnium Christianae doctrinae proximum, divinum veluti virum, venerabatur atque colebat. AGRICOLA Aristotelicae disciplinae se totum dederat ejusque decreta et theoretica praecepta accurate tenebat. Quidquid uterque, aut diceret, aut scriberet, absolutum, bene vinctum optimisque artibus institutum erat. At vero WESSELI oratio inculta, carens numeris, dissipata, non tamen sine nervis et viribus profluebat. Quae si cum AGRICOLAE sermone compararetur, prorsus sordebat. In hoc enim flumen orationis ac varietas, gravissimorum et optimorum verborum delectus omniaque

dicendi ornamenta splendebant, ut qui ad perfectam illam CICERONIS formam compositus esset. Itaque cum pari ferme eruditione uterque, prae altero, aliquid praecipuum sibi comparaverat: et quod alteri forte deerat, in altero consummatum videbatur. Quod, nolite quaerere, quantopere utrique profuerit. Etenim in crebris quotidianis sermonibus de variis rebus disputatio instituebatur et quod alter non noverat, alterius copia facile suppeditabat. Quodsi de philosophiâ inter se dissererent, WESSELUS Academiae, AGRICOLA Lycei sententiam tanto acumine, tanto argumentorum pondere tuebantur, ut PLATONEM et ARISTOTELEM ipsos disputantes te audire diceres. Sin vero de Theologiâ sermo incideret, Ecclesiam Christianam aerumnosis superstitionis tenebris obrutam ac contaminatam esse vehementer conquerebantur. Coenae in Missis profanum usum ac coelibatum in crimen vocabant acerbiusque in monachorum praeposteram opinionem invehebantur, quae homines non fide, sed operibus justos esse docet. De rebus ecclesiasticis mirus amborum erat consensus, ita, ut nullus dubitem, quin AGRICOLA aliquando, quemadmodum WESSELUS, acerrimus superstitiosarum aniliumque nugarum — absit omnis ab hoc nomine invidia — exagitator exstiturus fuisset, nisi

animus ejus lenis ac placabilis ab omni odiosâ contentione ac offensione abhorruisset.

Hujusmodi sermones, in quibus quisque eorum, quod sciebat proferre, quod cognoscere cupiebat, ab altero repetere solebat, non poterant iis non utiles ac non jucundi esse. (30).

Dum *Groningae* morabatur AGRICOLA, benificiis suis cives multifariam sibi obstrinxit. Musices enim ejus studium, quod Ferrariensium consuetudine valdequam exarserat, *Groningae* minime refrigatum est et quidquid aut muneris, aut aliorum studiorum superesset tempus, id Musices studio concedebatur. In quo quatenus tandem pervenerit luculento indicio civibus ostendit. Singulari enim ac prorsus inusitatâ arte in templo DIVI MARTINI fabricavit *salpingorganon* — utamur enim hoc verbo, cum in Latinâ linguâ satis aptum huic rei nomen non inveniamus. — Cujus operis machinatio hodie quoque, quatenus supersit, idoneos hujus rei judices vehementem in admirationem rapit (31). Verum haec summi viri erat indoles, ut, cum in quacunque re primus esse posset, nihil modicum, nil nisi omnibus partibus absolutum ac perfectum a se proficisci vellet.

Nihilo secius vix est, quod interpretari possimus, quomodo vir eximius, qui se totum literis dederat,

tantumque temporis in antiquitate pervadendâ consumebat, eo in Musicâ arteque fabrili processerit, ut opus tam insigne perficere posset. Quae admiratio altius etiam extollitur, si reputamus, quot quantisque subsidiis, quibus nostra gaudet aetas, prorsus destitutus esset.

Huic in cives promerito alterum addidit, cum legatus ad Archiducem (32) MAXIMILIANUM mitteretur, cujus aulam per sex menses continuos secutus est. Postquam res suas feliciter peregerat, in patriam rediit. Neque enim MAXIMILIANUS, nec Burgundiae (33) et Brabantiae Cancellarii ab eo impetrare potuerunt, ut se Archiducis aulae addiceret. Quod, cum propter utilem et amoenam ejus consuetudinem, tum propter insignem prudentiae civilis peritiam, summopere exoptabant. Verum alto in AGRICOLAE pectore defixum erat consilium, quo se nullo pacto ab elegantioribus studiis recolendis abripi pateretur. Praeterea splendida aulae pompa, quotidianus strepitus, tempestiva convivia, effoeminata denique aulicorum ingenia, inani gaudio nimium saepe exsultantia, gerris crepundiisque semper destricta, quae nihil ad doctrinam, ad sapientiam nihil afferre possunt, AGRICOLAE indoli minime conveniebant. Itaque omnes honores omnesque opes, quas literato homini molestas studiisque impedimento esse prae-

clare sciebat, fortiter respuit. Patriam repetens, variis in locis, politiorum amicorum consortione usus, aetatem degit. Quorum nemo unus, nisi ab omni parte limatior, intelligentior doctiorque ab eo decessit.

Interim JOANNES DALBURGIUS, Comitis PHILIPPI, Electoris Palatini, Cancellarius, quocum AGRICOLA et studiorum consensu et amicitiâ *Ferrariae* conjunctissime vixerat, Wormatiensis Ecclesiae Episcopus creatus est. Hic igitur, quem diu desideraverat AGRICOLAE quotidianum usum instaurare ante omnia cupiebat. Quare, continuo per THEODORICI PLENNINGERI, apud Comitem Palatinum a consiliis, epistolam, amicum *Heidelbergam* arcessivit (34).

AGRICOLA dum *Campis* morabatur, PLENNINGERI literas, illustrissimis quibusque pollicitationibus, precibus, amicitiaeque testificationibus oppletas accepit. Ut arrepuit eas, ut perlegit, tantâ benivolentiâ veterisque consuetudinis recordatione statim evictus est. Neque igitur itineris longitudo, nec difficultates impedire poterant, quominus sine ullâ morâ *Heidelbergam* proficisceretur, vel potius advolaret, amicorum desideriis morem gereret priorisque familiaritatis nexus renovaret. Venit *Heidelbergam*, urbem copiosam, optimarum artium ac disciplinarum in *Germaniâ* illo tempore

principem altricem ibique ejus adventus omnium illustrium virorum laetitiâ celebratus est. DALBURGIUS episcopus Wormatiensis summo, quod ore vultuque prodebatur, gaudio, amicum accepit. Ipse etiam PHILIPPUS, princeps Palatinus, vir, aequitate, justitiâ, moderatione, clementiâ, religione, omni vitae morumque suavitate et, ut semel dicam, omni principis privatique hominis laude, testante ipso AGRICOLA, consummatissimus tantâ benignitate ac humanitate eum ornavit, quantam noster sperare vix potuerit. Omnes eum appetebant, omnes ejus doctrinâ, elegantiâ, consuetudinis suavitate perquam delectabantur atque episcopum quotidie adhortabantur, ne quid praetermitteret, quo AGRICOLAM secum retinere posset. Hic igitur nihil antiquius habuit, quam ut AGRICOLAM, cujus animum, ad amicos valde proclivem, cognoverat, variis modis alliceret atque *Heidelbergae* devinciret. Aedes suas ei obtulit, ut ibi more suo viveret, quidquid sibi aptissimum videretur, faceret: iret, rediret, cunctaque ex animo, ac si domi esset suae, institueret; dummodo amici studiis, si qua posset, suffragaretur. Praeterea, si quidem eo adduceretur animus, cathedram adipisci et quascunque vellet disciplinas tradere posset. Qua in re neque auditorum numerus, neque ampla praemia ei defutura essent. Quid

multa? tantis in eo accumulatis pollicitis, nullus tergiversando dabatur locus. AGRICOLA igitur, postquam res suas in patria composuisset, *Heidelbergam* se rediturum promisit. Urbe relictâ, cum jam in itinere esset, afferebantur ei JACOBI BARBIRIANI, amici delectissimi, literae, quibus ad Antverpiensis scholae moderamen obeundum a curatoribus, invitabatur. *Antverpia* magnopere AGRICOLAE arrisit; praesertim propter JACOBI BARBIRIANI, viri eruditi, praeclarique musici, amicitiam. Verum deterrebant eum scholastici docendi muneris taedia, quae tanti ingenii ac doctrinae viro valde odiosa esse solent. Praeterea, etsi oblatam conditionem accipere voluisset, propter fidem DALBURGIO datam, hoc facere non potuisset.

Anno insequenti *Heidelbergam* rediit atque continuo docendi initium fecit; qua in re si eum omnium illius temporis doctorum principem extitisse dico, dicam id, quod est verissimum.

Abjectus enim ac miser adspectu artium et disciplinarum status illo tempore in *Germaniâ* erat. Nihil quod ad veram humanitatem elegantiamque spectat, ibi excolebatur; sed omnes in puerili ac nugatoriâ eruditione subsistebant. Hi vero, qui, quamvis ab angustis doctrinae compendiis profecti, eruditorum tamen nomen sibi affectaverant, inauditâ loquacitate de variis artibus, quas ipsi ne

primoribus quidem labris attigerant, inconsiderate disserebant atque ipsi saepius se suis acuminibus compungebant. Huc accedebat singulare eorum studium, quo, nescio qua mentis pravitate ducti, in locis obscuris, spinis obductis, sordibusque squalentibus potissimum desiderent, quippe in quibus ingenii acumen eximié splendere posse putarent. Haec loca quotidie perplexis disputationis ambàgibus vexabant, in hisce perscrutandis immensam suam, si Dîs placet, eruditionem venditabant. His quoque minutiis misera juvenum ingenia contorquebant omnemque simul discendi ardorem restinguebant atque omnes fruges, in juvenilibus ingeniis, laetis veluti in herbis, a naturâ involutas, antequam ad maturitatem pervenire possent, turpiter suffocabant (35). Quid de istorum Latino sermone dicam? cujus, quotquot supersunt, specimina, satis horrendam auctorum barbariem ostendunt. Spretâ aureâ illâ CICERONIS simplicitate, inflatum, tumidum, fatuum ac plane inusitatum genus dicendi libentius sectabantur. Oratio eorum tristis et putida, obsoletis et grande quid sonantibus verbis, ad quae vulgus stupet, abundabat atque, quo difficilius ab auditoribus intelligebantur, eo eloquentiores sibimet ipsi videbantur. Magno igitur viro opus erat, qui doctrinâ ac elegantiâ suâ futilem istius saeculi eruditionem vas-

homini erudito et emolumento et ornamento esse, quis est, qui non videat. Quoniam vero omnia, quae ad variarum rerum cognitionem spectant, per plura antiquitatis monumenta dispersa inveniuntur, in eo praesertim omnis opera nostra ponenda est, ut antiquorum sermonum indolem accurate percipiamus, quo res a scriptoribus traditas eruere riteque mente et cogitatione comprehendere possimus. Quod si assequi conemur, perutile erit, ea, quae apud optimos scriptores legimus maxime propriis et idem significantibus verbis vernaculo sermone reddere. Sin de iis, quae apud veteres tradita invenimus, aliquid Latino sermone scribere velimus, prius de iis vernaculo sermone meditari, ea ab omni parte mente et ratione perlustrare, deinde optimo rebusque adaptato sermone exprimere magnopere nobis proderit. Nisi enim eo processerimus, ut omnem peregrini sermonis copiam vel, ut hoc utar, gazophylacia teneamus, res patrio quam alio sermone propositas facilius intelligemus ac perspectas habebimus. Ante omnia in scribendo id efficere studeamus, ut quam purissime scribamus. Quid enim sine puritate omnis oratio, nisi absonus verborum strepitus limatiores aures ad saeva quaeque tormenta dirosque quasi equuleos rapiens? Quam recte sincereque scribendi facultatem si acquisivimus, omnem operam nostram

ad ornatam, elegantem omnibusque numeris absolutam orationem effingendam conferamus.

Haec igitur, quae proposui, digna sunt, quae summe a quocunque cultioris doctrinae studioso tractentur. Jam vero videamus, quâ ratione, qui in hisce ediscendis studium suum ponere vult, id, quod appetit, optime consequatur. Primum requiritur, ut clare recteque, quod discit, percipiat atque hoc accuratae lectionis est. Deinde, ut fideliter, quae edoctus est, animo contineat, quod tenacis, omnia curiose custodientis ac redintegrantis memoriae est. Denique, ut de iis, quae cognovit, aliquando proferat aliquid suisque inventis hoc amplificet atque adornet, quod assiduae exercitationis est.

In lectione ad id praecipue nobis attendendum est, ut, quod legimus, accurate intelligamus penitusque perspectum habeamus. Porro, ut non modo res, quae traduntur, verum etiam verborum vim et efficaciam, dictionis elegantiam, varietatem, lumina variasque formas, notemus. Tandem, ut, quid ornate, quid ab omni parte adaequate, quid copiose secusve dictum sit, diligenter discernamus. Quodsi forte locus insolentior paullo et obscurior nos offenderit, iccirco non desperandum est, sed iteratâ lectione acriter persistendum ingeniumque excitandum. Sin post repe-

titos conatus operam et oleum, ut in proverbio est, nos perdidisse intelligamus mentisque aciem obtundi magis, quam exacui, sentiamus, lectio in aliud tempus deferenda est, donec vel doctus homo vel liber aliquis, vel nova loci consideratio aliquid lucis affert.

Ad memoriam firmam, nunquam fallacem maxime valet felix natura, cui si exercitatio ac conformatio quaedam accesserit, nescio quantam rerum verborumque copiam tenere possimus. Creberrime magnâ rerum copiâ commemorandâ in quâ timendum est, ne vel ordine, vel numero destituamur, vires ejus periclitari debemus. Deinde, quaecunque didicerimus saepissime ab animo nostro reposcere ac, reluctante etiam naturâ, expromere perutile erit. Quemadmodum enim balaenas aliaque monstra maritima pungendo ac defatigando facile ab hominibus comprimi ac evinci videmus, ita quoque excitando ac quasi torquendo omnem memoriae tarditatem et negligentiam in fugam agere debemus.

Atqui memoria, quantumvis tenax, nullos omnino fructus nobis afferet, nisi ea, quae didicimus, subinde emendatiora multisque novis inventis adaucta proferre valeamus. Quid enim hi, qui psittacorum instar, ea quae semel memoriae inculcarunt, fideliter semper referunt, aliud agunt, quam,

quod semina in mente velut reposita sine fructibus reddant? Quid, quaeso hos inter librumque, omnia, quae continet, eadem semper eodemque ordine accurate reddentem interest? Multos reperies, qui, cum variarum rerum cognitionem habent, nihil tamen earum, ubi res postulat, cum aliis communicare possunt. Quare in hoc apprime vires nostras intendere debemus, ut, de quacunque re sermo inciderit, continuo accurate copioseque disserere, neque tantum, quae ab aliis accepimus, verum etiam nostram de ea re sententiam explicare possimus.

Tali ingenii foecunditate atque agilitate, qui in multis principes exstiterunt, Graeci mirifice pollebant, ita ut, quâ de re quisque audire vellet, de eâ tantâ doctrinae copiâ, tanto dictionis ornatu, vi et contentione dicerent, perinde ac si omnia, antequam in suggestum escenderant, accurate expendissent atque praemeditati essent. Quâ in re GORGIAM *Leontinum*, PRODICUM *Chium*, PROTAGORAM *Abderitem* et HIPPIAM *Eleum* primas partes tulisse, nemo ignorat, nisi qui ipsam antiquitatem ignoret.

Haec quae proposui (37), ante omnia studiosae juventuti spectanda et quotidie ob oculos ponenda tradere solebat AGRICOLA. Hanc viam ad maxima quaeque ducentem strenue inculcabat, hanc ut

forte de re dubiâ et ancipite disputatio instituta esset, quae a disputantibus ad finem perduci non posset, AGRICOLA alterutrius partes in se suscipiebat, mirâ sagacitate sustinebat saepiusque rem difficillimis nodis obstrictam accurate et perspicue expediebat. — O beatos, tanto praeceptore, discipulos iterumque beatas aures, quae tantum hominem disserentem audiverint! Quis est, qui literarum optimarumque artium amore protractus, summe esurienti similis, ubi posset, in tanti doctoris scholas se non immitteret, hujus monita, leges veluti sanctas, non teneret iisque totam vitam non lubens addiceret? Verum quid evenit? O hominum pravitatem! o intolerandam ignaviam atque desidiam, omnibus modis pectori excutiendas, pestes veluti effugiendas! Sat multi quidem in AGRICOLAE disciplinam transierunt, sed artes disciplinasque cupiverunt vehementius, quam percipere conati sunt. Difficilis enim primoque ingressu aspera, quae ad summam doctrinam ducit, via est. Itaque in aeternâ ignorantiâ et tenebrarum caligine desidere, quam omnibus viribus assiduoque labore ad excelsum gloriae fastigium tendere ah! nimium saepe miseri mortales malunt. Hoc *Heidelbergae* hoc *Wormatiae* — nam in utroque loco docuit — fieri vidit AGRICOLA. Quae animorum perversitas saepius ei bilem movit et, nisi eâ

prorsus restingui potuerit docendi ardor, nonnunquam saltem debilitatus est ac deferbuit (40). Verumtamen summus praeceptor dignis discipulis non omnino destitutus est. JACOBUS enim BARBIRIANUS (41) CONRAD CELTES (42) JOANNES DALBURGIUS, (43) ADOLPHUS OCCO (44) THEODORICUS PLENNINGER (45) integerrimi AGRICOLAE amici, dignissimos se ejus discipulos praestiterunt. Quid? ALEXANDER ille HEGIUS, scholae Daventriacae moderator, cui quantum debuerit patria unâ omnium et consentiente voce circumfertur, cujus saluberrimam institutionem sera etiam posteritas laudatura est, magnus ille HEGIUS omnia profecto, quae sciebat, ab AGRICOLA se accepisse lubens fateri solebat (46). Quamvis jam quadragenarius Artiumque Liberalium Magister esset HEGIUS, eum tamen non puduit RUDOLPHI nostri adolescentis se in disciplinam recipere atque, quasi novus in literis homo, omnia ab hocce germanae eruditionis primario vindice edoceri. Hunc enim unum admirabatur, in hunc oculos convertebat, hunc omnibus aevi sui eruditis longe anteferebat, divinumque veluti hominem colebat. Non is erat AGRICOLA, qui insolenti fastu et supercilio quod ab aliis profectum erat temere damnaret. Attamen, si quid minus accuratum HEGIO excidisset, id leviter, ut amicum decebat, perstringere atque emendare non

verebatur. Ita cujuscunque aetatis ac dignitatis essent, discipulis suis maximopere profuit. Neque tantum qui elegantioribus literis incumbere cuperent, verum etiam aliarum artium ac disciplinarum doctores professoresque AGRICOLAE doctrinae copiâ atque ingenii ubertate adjuvabantur. Cujus rei exemplum proferre me juvat.

Forte suborta erat concertatio inter Theologos et Jureconsultos de hoc dicto: »frustra servat Evangelium, qui non servat canones synodorum." Hoc enim alii superstitionem in ceremoniis corroborare volebant; alii vero hoc severius dictum esse et dexterâ adhibitâ interpretatione lenius accipiendum putabant. Itur ad AGRICOLAM. Hic iis explanavit, canones in synodis dijudicatos quasi articulos esse doctrinae Christianae, non vero jussa de ceremoniis. Veteres enim synodos, propter dogmatum controversias, non de ceremoniis accumulandis convocatas esse arguit. Quare eos tantum, qui decreta contra SAMOSATENUM, contra ARIUM aut MACEDONIUM facta respuunt, Evangelium non servare putavit. Porro in eos invectus est, qui contenderent CHRISTI fidem inanem et inutilem esse, nisi omnes ritus omniaque, ab hominibus excogitata, solemnia, accurate tenerentur. Vehementer eorum doctrinam explosit, qui putarent aeternam hominis salutem, ludicrâ aliquâ

neglectâ solemnitate, perituram esse. Quasi vero Summum Numen maleficia multa, sceleraque miseris mortalibus facile ignosceret, propter levem vero negligentiam ultimo supplicio in eos saeviret. Praeterea tales ritus saepius absque ullo peccato remitti posse addidit.

Videtis, opinor, A. A., qualis Christianus AGRICOLA fuerit. Omnis superstitio omnisque in nugas ineptiasque aberrans religio in alios minus perspicacis ingenii homines cadere poterat, in AGRICOLAM non poterat. Ratio enim altâ in mente reposita, veri obrussa, fraudium expultrix longe lateque circumspiciebat, omnia accurate expendebat, neque quid fallaciae sibi obtrudi patiebatur. Quam igitur WESSELUS, quam ERASMUS, quam LUTHERUS et quotquot praeter eos illo tempore fuere, corruptelarum exagitatores, eandem doctrinam AGRICOLAE divinum pectus alebat.

Sed sentio, orationem ab argumento, in quo occupata erat, paullo deflexisse. Agebatur enim in primis, ut spectaremus quantam utilitatem AGRICOLA *Heidelbergae* et *Wormatiae* in vario doctrinae genere docens praestiterit, quidque ibi egerit.

Omnes igitur artes, omnes disciplinas, quae ad humanitatem spectant, ex antiquorum scriptis deductas magnâ perspicuitate magnâque elegantiâ

modice se scire pateretur, omnia, quae theologiae studioso suppetere possunt, adscivit. Ab amico WESSELO, dum Groningae morabatur, acceperat, quantae utilitatis Hebraïcae linguae cognitio sit; quare in eâ ediscendâ omnem operam posuit(48). Quod ejus studium, nolite quaerere, quantos fructus protulerit. Ipse quidem hoc opus tantum molestiae sibi attulisse, scribit, ut cum ANTAEO(49) luctari sibi videretur. At vero in hac ipsâ confessione magnus animus potius, quam mentis debilitas elucet. Parva enim ingenia, quia nihil habent, multa sibi adscribunt atque, si forte inanem alicujus rei cognitionem acquisiverint, hanc prae se ferunt atque hac elato animo gestiunt. Verum sublimis ingenii homines, quantamvis rerum copiam teneant et accuratâ eruditione valeant, sibi semper diffidunt, displicent atque dolent, se tot tantarumque rerum scientiâ etiam destitutos esse. Nullus itaque dubito, quin multum jam in literis Hebraïcis profecerit AGRICOLA(50) et ad perfectam earum cognitionem escendisset, nisi invida fata talia conantem praematurâ morte abripuissent.

Quum omnia, quibus magnus orator effingitur, in AGRICOLA accumulata et consummata essent, eum multa quoque, dum in *Germaniâ* vixit, eloquentiae specimina dedisse, quisque facile conjiciet. Atque plura certe daturus fuisset, nisi per

biennium tantum lumina sua ibi praeferre ei licuisset. INNOCENTIO Octavo, Pontifice Maximo creato, AGRICOLA ei JOANNIS DALBURGII ac PHILIPPI Electoris nomine novo munere congratulatum in *Italiam*, quam diu desideraverat, profectus est. Hic plures eruditos, quibuscum olim in amicitiae consortio vixerat, reperiit veteremque necessitudinem renovavit ([51]). Romam adveniens, omni vegeti corporis vigore omnique eloquentiae vi elegantissimâ oratione ad INNOCENTIUM dixit. Illa vero tanquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio ([52]). Domum enim reversus, febri arreptus, antequam medicorum auxilio frui ei licuerit, ([53]) se totum JESU CHRISTO commendans animam efflavit ([54]).

O fallacem hominum spem labentemque exspectationem et inanes nostras contentiones! In medio vitae spatio saepius frangimur, in ipso cursu morte e vestigio irrumpente obruimur omnesque nostrae animi molitiones simul corruunt! Quo animo JOANNEM DALBURGIUM, PHILIPPUM Electorem, totum eruditorum senatum, amicorum coetum, studiosam juventutem omnemque *Germaniam* et *Belgium* fuisse putatis? — Omnes ejus mortem acerbissime tulerunt; ingemuit *Heidelberga*, dolore exarsit *Wormatia*; *Italia Belgiumque*, nam ubique carus erat, fletu gemituque praeproperum sum-

mi viri obitum deplorarunt. JOANNES REUCHLINUS acerbum, quem intus alebat, moerorem, funebri de AGRICOLA habitâ oratione, in lugentium auditorum pectora effudit. Quos acres animi morsus et tum, et postea plurimi eruditi saepius refricarunt. Nec mirum. Flos enim eloquentiae deciderat, sapientiae ac eruditionis lumen, cujus radiis tota *Germania* quasi coruscabatur, occiderat.

Verum enimvero cum AGRICOLA ex hac vitâ demigraret, omnia, quae effecit, bona praestantissimaque ejus disciplina tamen non unâ cum eo interierunt. Etenim humanitatis facem, quam ipse vir magnus inflammarat, HEGII, LANGII, ERASMI longe lateque circumtulerunt, tenebras omnes excusserunt luminaque fulgentia ubique accenderunt.

Exstant etiam hodie egregii viri, quae sibi scriptis immortalibus ipse exstruxit, monumenta. Quae cum aliis multis antiquitatis operibus nostri saeculi magno dedecori et damno neglecta jacere, per quam dolendum est. Verum, aut vehementer fallor, aut exorietur aliquando literarum vindex, qui AGRICOLAE opera, hodie admodum rara abditisque in latebris retrusa iterum in lucem proferat et quantus ille fuerit, hoc luculento indicio docto orbi ostendat (55). Nihil enim ejus scriptis elegantius, nihil lectu jucundius magisque ad anti-

quorum scriptorum exemplum efformatum apud hujus aevi scriptores reperies. Ubi oratorem agit, ISOCRATIS suavitatem, SENECAE copiam, QUINCTILIANI acumen, saepe refert. Oratio pura semper, comta ac nervosa verborumque copiâ atque delectu ipsam CICERONIS ubertatem redolet. Non deerat vis et gravitas, attamen a tumido isto praeterque modum grandiloquo, quo aetas sua mirifice sibi placebat, dicendi genere, quam maxime alienus erat. Omnia, quae scribebat, copiosa, bene vincta, omnibus suis partibus absoluta erant ingeniumque perspicax ac liberalem doctrinam facile ostendebant. Omnem enim scientiam per antiquitatis monumenta hic illic dispersam ac dissipatam magno studio collegerat atque in memoriam, in horreum veluti, congesserat, unde, si res postularet, verborum ornatu instructa, facile depromebatur.

In epistolis singularis regnat comitas, simplicitas et uti in omnibus, ita in his quoque amicis utilis esse studet.

Cum poëta natus videretur, carmen grave plenumque divinâ quadem mentis vi profundebat. Animus excelsus humile verborum genus despiciens, altîus se extollebat coelestiaque loca quasi lustrabat. Unde sublimia carmina, ad VIRGILII imaginem expressa, orta sunt. Verum, ut fit, ade-

rat quaedam luxuries, nimium saepe exsultans; quae, ut opinor juvenilem aetatem aliquantum prodit. Poëmata igitur animi quodam ardore verborumque gravissimorum ubertate nimis nonnunquam efflorescunt, unde tumidi quid ac inflati contraxerunt. Quare, tametsi a saeculi labe immunis, in omnibus perfectam antiquorum formam induisset, carmina ejus naevis suis, iis tamen admodum raris levibusque, laborant. Atqui vel sic soni dulcedine sententiarumque gravitate lectoribus mirifice placent. Nisi vero, postquam ad virilem aetatem masculamque simul eruditionem pervenerat; citharam de manu deposuisset, ([56]) nullum dubium est, quin ad id, quod in hac arte summum est, emersisset atque cum optimis nostris Latinis poëtis in gloriae societatem venisset. Verumtamen hoc affirmare non vereor, eum hac quoque in arte omnes omnino aetatis suae homines longo post se intervallo reliquisse ([57]).

Hactenus AGRICOLAM in vario doctrinae genere excellentem spectavimns. Nunc animum, mores, vivendique rationem breviter contemplemur.

Qualis fuerit amicus, qualis homo, vel ex iis, quae jam supra commemoravimus, colligere licet. In *Italiâ* ab omnibus colebatur, in patriâ expetebatur; audiebatur ab omnibus, quocumque terrarum pervenit. MAXIMILIANUS aliique eum fa-

miliae suae adserere cupiebant; PHILIPPUS Elector magnis honoribus ac favore eum ornabat; HERCULES ESTENSIS, JOANNES DALBURGIUS, WESSELUS GANSFORTIUS, JOANNES REUCHLINUS, ALEXANDER HEGIUS aliique summi viri, dignitate et eruditione conspicui, eum consuetudine devinctum habebant. Omnibus gratus erat, omnes ejus amicitiam flagitabant.

Verumtamen AGRICOLAE virtutes optime percipiuntur, si animo recolamus, neminem ei fuisse inimicum (58). Quod, cum hodie famae celebritate praeclaro homini raro contingat, olim etiam rarius eveniebat. Opinio enim, legis in modum, invaluerat, nemo ut eruditus haberetur, nisi qui cum aliis doctoribus infestissime cavillaretur. Quare iis temporibus, quibus AGRICOLA vixit, qui eruditorum nomine censebantur, tanto furore inter se digladiari solebant, ac si pro patriae salute vitave arma suscepissent. Quid vero AGRICOLA? qui certe eruditi nomine omnium dignissimus erat? Ab omni invidiâ, contrectatione jurgiique petulantis maledicto animus placatus abhorrebat. Sin forte sciolus aliquis placita ejus convellere moliretur, hujus insanientis impetus doctrinae suae vi frangebat irruentemque nullo negotio, amice tamen, comprimebat. Attamen, cum neminem eruditione sibi parem viderit AGRICOLA, quis etiam miratur,

paucos admodum fuisse, quos ejus doctrinae copia disserendique facultas non ab omni contentione deterruerit.

Tam mitis igitur atque tam lenis AGRICOLAE erat natura, nemo ut ei plane inimicus esse posset (59).

Non tantum qui aliquid discere et audire volebant, sed omnes alii etiam homines ejus consuetudine frui cupiebant. Jocis enim laetitiaque gaudebat (60), facetiis salibusque abundabat; nunquam vero ad res minutas tricasque excelsus animus descendebat. Nil nisi pulcri decorique indicia referens, nil nisi docto homine dignum ex ore exibat.

Puellas quoque corporis habitu formosas animive dotibus insignitas colebat et adamabat, nunquam vero deperibat. Quamvis enim juvenis uxorem ducere decrevisset, hoc consilium postea abjecit, non deterritus, ut ipse testatus est, rei uxoriae incommodis, quae multi κακοτέχνοι etiam multis verbis prosecuti sunt, sed vitae suae genere et animo levissimis etiam curis impari (61). In puellarum gratiam carmina nonnulla vernaculâ linguâ composuit, quae, virginibus amicisque praesentibus, voce et testudine modulatissime canere solebat.

Quantae utilitatis verae cognitionis studioso peregrinationes sint, omnes agnoscunt. AGRICOLA quoque sibi persuaserat, neminem, qui semper

domi permanet atque in umbrâ quasi marcescit, ad sapientiam pervenire posse. Quapropter difficile ei accidebat, si diu in eodem loco morari deberet. Multas igitur peragravit regiones multasque urbes invisit. In hujusmodi itineribus, praeter unum famulum, paucos tantum libros comites habebat, quos inter erant PLINII naturalis historia, junioris PLINII epistolae, QUINCTILIANI de institutione oratoriâ, quos ipse descripserat, libri, PLATONIS denique ac CICERONIS selecta nonnulla. Multis enim libris non indigebat, quoniam, ubicunque terrarum veniret, bibliothecae ei, doctissimo quippe viro, apertae erant.

Haec sunt, quae de AGRICOLAE vitâ et meritis dicenda mihi proposui, ex quibus aliquatenus apparere potest, qualis quantusque fuerit. Quis enim est, A. A., qui non miretur, hunc virum, teterrimâ undique reluctante barbarie, optimis multis ac necessariis studiorum subsidiis destitutum, eo escendisse, quo nemo Germanorum ante eum pervenerat? Quis est, cui non mirum videatur, eum brevi tempore tot tantarumque rerum absolutam cognitionem sibi comparasse, si recogitet, quantum temporis peregrinationes, amici et musica ei abstulerint? Attamen immensam illam cognitionis molem quadraginta tantum annorum spatio sibi collegit. Cui si ad senectutem vitam agere a fatis

concessum esset, tum nescio quid praeclarum ac singulare in eo exstitisset. Nescio, quid alii sentiant. Mihi AGRICOLAE nomen sanctissimum est, eandemque, quam maximi nostri eruditi, gloriam mereri videtur. Equidem fateor fuisse, qui melioribus auxiliis adjuti, longius etiam, quam ille, in doctrinarum campum progressi sint. Etiam illud adjungo, exstitisse, qui insigniora, quam ille, eruditionis testimonia in lucem adspectumque hominum dederint. Atque idem ego contendo, AGRICOLAE nomen propter infinita in *Germaniam Belgiumque* eruditionis merita nullius eruditi nomini postponendum esse. Dicam quod sentio et, ut arbitror, dicam vere. AGRICOLAE laus est, Germanorum Belgarumque animos primus expoliisse ignorantiaeque, ut ita dicam, aeruginem, quae per saecula eorum ingenia obsederat ac contaminaverat, abstersisse. AGRICOLAE gloria est, summis eruditis pollenti omnemque doctrinae cultum sibi vindicanti *Italiae Germaniam Belgiumque* eruditione et ingenio praeclaris viris redundantes opposuisse.

Erunt fortasse, qui haec a me magnificentius, quam verius dici putent, quos tamen, rem accurate ponderantes, mea dicta comprobaturos auguror. Neque enim adeo insanus ego, qui contendere velim, solum AGRICOLAM, uno quasi ictu,

Germaniam Belgiumque ad summam doctrinae gloriam perduxisse; sed hoc mihi certissimum sedet, AGRICOLAE, utpote qui primus germanae doctrinae literarumque studium instauraverit, maximam gloriam competere.

Nonne salubris alicujus artis inventor omnium saeculorum laudis praeconio celebratur, quamvis qui post eum venerunt, artem novis incrementis amplificarint et adornarint? LAURENTIUS KOSTERUS, ut hoc luculento exemplo utar, propter artem typographicam inventam, et apud nos, et apud exteros, tantum nomen consecutus est, ut Germanorum invidia religioni non habuerit, nec hodie etiam habeat, gloriam, meritis partam, magno viro surripere sibique vindicare. Quamvis igitur magnopere laudentur, qui artem typographicam emendarunt et in hoc, ex quo hodie conspicitur, perfectionis fastigium, evexerunt, LAURENTII KOSTERI tamen nomen apud nos illibatum, praefulgens omnibusque iis, qui eandem viam inculcarunt, celebratius, ad ultima tempora servabitur.

Ita quoque, etsi alii summi eruditi suâ laude minime defraudandi sint, AGRICOLAE suus stet honos ac gloria, quippe qui primus literarum lumen ac humanitatem in *Belgium Germaniamque* induxerit.

Magni, fateor, AGRICOLAM facio. Verum magni

quoque summi multi, quorum auctoritatem secutus sum, eruditi, quales ERASMUS (62) JOVIUS (63) GUICCIARDINI (64), VOSSIUS (65) aliique (66) eum fecerunt. Magni denique virum illum plane divinum sequentia saecula facient.

Quidquid enim — ut TACITI suum AGRICOLAM laudantis verbis utar — *ex* AGRICOLA *amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, famâ rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles, oblivio obruet:* AGRICOLA *posteritati narratus et traditus superstes erit.*

ANNOTATIO.

---

(1) Hoc nomen ita intellectum velim; ac si de urbe et tractu Omlandico dixissem.

(2) WESSELUS GANSFORTIUS variis nominibus nuncupatur. JOANNIS nomen ex sacro baptismo ei proprium videtur, cui adscita sunt patris HERMANNI et avi WESSELI nomina, de quibus vero alii alia detraxerunt. Sic in *Chronici Urspergensis paralipomenis Magister* JOANNES WESSELUS *Groningensis*; in *libro memoriali* templi Groningani in quo sepultus est, WESSELUS HERMANNI dicitur. WESSELI nomen apud nonnullos, inter quos RUDOLPHUS AGRICOLA, in BASILIUM transiit, quae mutatio ab ALBERTO HARDENBERGIO ideo facta traditur, quoniam elegantiorum hominum auribus WESSELI nomen nimis durum et veluti barbarum sonabat. Deinde cognomen accessit GANSFORTIUS, vel potius GOESEVOET; quod nomen inde exortum videtur, quia WESSELUS anserum more aliquantum claudicabat. Conf. Cl. YPEIJ, *Leerrede ter gedachtenis van de groote Verdiensten der Nederlandsche Vaderen, betrekkelijk het werk der Kerkhervorming*, p. 43.

WESSELUS natus est *Groningae*, circa annum aeris vulgaris MCCCCXIX. Puer admodum, *Zwollam* mis-

sus est, ut ibi in scholâ, quae in aedibus fratrum habebatur et cui praepositus erat doctissimus THOMAS A KEMPIS literarum cognitione imbueretur. Inde *Coloniam Agrippinam* profectus, in collegium, quod a doctissimo LAURENTIO Groningano nomen habet, acceptus ad altiora adspirare coepit. Vulgari, quam hoc saeculum jactabat, doctrinâ nequaquam contentus totam antiquitatem perscrutatus est, quod eo facilius perfecit, quo accuratiore Graecarum, Latinarum Orientaliumque literarum cognitione ornatus erat. In primis vero ad theologiam, ad quam naturâ propendebat, animum applicuit. PLATONEM, quippe Christianae doctrinae omnium veterum philosophorum proximum, in deliciis suis habens, acerbius nonnunquam in ARISTOTELEM invectus est, quam multi aevi sui doctores ferre possent. *Coloniâ Agrippinâ* relictâ *Heidelbergam* petivit. Deinde *Galliam*, *Italiam*, et, ut nonnulli perhibent, ipsam *Graeciam* perlustravit. Ubique ad bibliothecas sibi aditum paravit, ut, cum ex theologorum, tum ex aliorum eruditorum scriptis absolutam sibi exquireret doctrinam. Neque enim in theologiâ tantum, verum etiam in Jurisprudentiâ ac Medicinâ haud mediocriter versatus est. Quinquagenarius *Groningam* rediit ibique placidâ fruens quiete, ad ultimum vitae terminum omnem operam in studiis collocavit. Gravi morbo affectus, postquam clara voce verba « nihil scio, nisi Christum atque hunc cricifixum" ediderat, diem supremum obiit. Quod factum est mense Octobri A MCCCCLXXXIX.

De WESSELI in theologiâ meritis copiosius, quam vel mea infantia, vel hujus scriptiunculae argumentum patiuntur, dicendum est. Duo igitur summorum viro-

rum testimonia apposuisse sufficiat; quorum alterum dedit ERASMUS *de pseudo-evangelicis* caet. his verbis:

« Doctor WESSELUS multa habet cum LUTHERO « communia, sed quanto Christianius ac modestius ille « proposuit sua dogmata, quam istorum plerique fa- « ciunt."

Alterum insigne testimonium dixit LUTHERUS in epistolâ, WESSELI nonnullis epistolis praefixâ:

« Prodiit WESSELUS, quem BASILIUM dicunt, « Phrijsius Groningensis, vir admirabilis ingenii, rari et « magni spiritus, quem et ipsum apparet esse verum « theodidactum, qualis prophetavit fore Christianos « ESAIAS. Neque enim eum ex hominibus accepisse ju- « dicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset « lectus, poterat hostibus meis videri LUTHERUS om- « nia ex WESSELO hausisse adeoque spiritus utrius- « que conspirat in unum. Mihi vero et gaudium et ro- « bur augescit, jamque nihil dubito, me recta docuis- « se, quando tam constanti consensu peneque iisdem « verbis, tam diverso tempore, aliis coelo et terrâ alio- « que casu, sic ille mihi per omnia consentit."

De WESSELO videant. *Effigg. et vitae Proff. Acad. Gron. et Omland.* pag. 12. — *Oudheden en Gestichten van Groningerland*, pag. 299. — YPEIJ en DERMOUT, *Geschied. der Nederl. Herv. Kerk*, pag. 40. — YPEIJ *Leerrede* supr. laud. —

([3]) REGNERUS, ortus e pago tractus Omlandici *Winsumo*, PRAEDINII nomine insignitus esse voluit, quoniam ruri, in praediis in lucem susceptus erat. Quod factum est anno MDVII. Primum *Groningae* in aedibus Fratrum studiis operam navare coepit. Inde *Lovaniam*

profectus, variis ibi disciplinis, maxime vero philosophiae et theologiae deditus fuit. In patriam reversus, cum ad varia eaque splendida in republicâ munera obeunda insignibus praemiis expeteretur, haec omnia aspernatus est animumque in literas prolixiorem suscepto scholae, quae *Groningae* erat, moderamine, ad juventutis ingenia excolenda contulit. Quod munus tantâ doctrinâ, facundiâ et docendi dexteritate tuitus est, ut ejus famâ invitati juvenes, immo et eruditi ex omnibus patriae partibus non tantum, verum etiam ex *Italiâ*, *Galliâ*, *Germaniâ*, *Poloniâ*, *Groningam*, in celebrem veluti Academiam, confluxerint.

De PRAEDINIO videant. *Effigg. et vitae Proff.* caet. pag. 30. — HERM. MUNTINGHE *Orat. in Nat. ducent. Acad. Gron.* pag. 84 et 85. — *Oudheden en Gestichten* caet. pag. 360. — Cl. YPEIJ *Leerrede* supra laud.

(4) Quantopere ERASMUS HAJONEM HERMANNUM (*) coluerit, testantur *Epistolae*, quibus eum ad-

(*) Opere absoluto in Viri Clarissimi, praeceptoris aestumatissimi, GABINI DE WAL orationem *de claris Frisiae Jureconsultis* incidi atque HAJONEM HERMANNUM a viro clar. (Orat. p. 9 et in not. p. 10 sqq.) inter claros *Frisiae* Jureconsultos receptum esse vidi. Equidem fidem auctoris anon. *Oudheden en Gestichten van Groningerland*, pag. 305, secutus eum Groninganum feceram. Re vero accuratius perpensâ, scriptoribusque, a V. Cl. allegatis, evolutis, paullisper ambigere HERMANNUMque potius Frisium habere coepi. Etsi enim ejus natales tantis obducti sint tenebris, ut nemo scriptorum hac in re quid conjicere ausus sit, tamen abunde constat, eum primum in *Frisiâ* deinde *Trajecti* ad *Rhenum* honorifica munera obiisse. Summi ERASMI verba «alioquin et patriam habens cum illo communem et propinquus" minime facere possunt, ut HERMANNUM Groninganum habeamus, quia *Frisia* et *Groninga* olim eodem *Frisiae* nomine censebantur. Eadem de causâ, si a scriptoribus Frisius nuncupatur, eum Frisium, non vero Groninganum fuisse certo certius affirmare non

ornavit. (Videat. ERASM. *Epist.* pag. 631, 759, 760, 778.) Quanti vero eum fecerit, ex hoc uno eximii viri testimonio conjicere liceat.

« HAJO HERMANNUS, Phrysius, juvenis tam felici « natus indole, ut unus videatur idoneus, qui Rudol- « phicae laudis successionem capessat, tantique viri « gloriam sustineat; alioquin et patriam habens cum illo « communem et propinquus." — Videat. *Epist. scripta* ad PETRUM *Cracoviae Episcopum*, Confer. Epist. ad NIC. BERALDUM. pag. 387. Ad eundem, pag. 478.

([5]) JACOBUS PERIZONIUS anno MDCLI *Appingadami* natus, patrem habuit ANTONIUM PERIZONIUM, S. Theol. Doct. illo tempore scholae Appingadamensis rectorem, sexennio vero elapso *Hammoniae*, iterumque exacto sexennio, *Daventriae* Theol. et Lingg. Orientall. Professorem. Ducibus V. Cl. THEOPHILO HOGERIO et GISBERTO CUPERO humaniorum literarum studium primum *Daventriae* aggressus est. Inde *Trajectum ad Rhenum* in JO. GEORG. GRAEVII disciplinam se contulit, ex quâ quantos fructus perceperit, quisque facile auguratur, cui Graevianae doctrinae praestantia innotuerit. Studiis Academicis absolutis, aliquamdiu *Daventriae*, munus quodpiam appetens, vitam degit atque praecipuam otii partem in historiâ pertractandâ consumsit. Tandem (a. MDCLXXXI) *Delphis* conrectoris munus obtinuit. Mox vero (a. MDCLXXXII) *Franequeram* ad Historiae, tam Sacrae, quam profanae, ut et ad Eloquentiae professionem vocatus est. Cujus

---

licet. Verum, ut ut accipiatur, non valde repugnabo. Tantos enim et *Frisia* et *Groninga* viros genuit, ut neutri earum opus sit, alterius jura invadere magnumque doctrinae celebritate virum alteri surripere, vel de eo in certamen descendere.

provinciae dignitatem postea (a. MDCXCIII) in Academiâ Lugduno-batavâ usque ad discessum e vita (a. MDCCXV) sustinuit.

Dolendum sane, singularis eruditionis virum ab aevi sui labe nequaquam immunem fuisse, saepiusque rixandi cupiditate proreptum cum principibus nostratium eruditis HUBERIS, GRONOVIIS, KUSTERIS, aliis, in atrocissima certamina descendisse, quae perversitas eo vehementior in eo erat, quo majore doctrinae copiâ prae aliis pollebat. Nihil enim tam elaboratum, nihil tam politum in lucem mittebatur, quin aliquam fraudem in eo deprehenderet. Nullum vitium adeo leve, adeo abditum, quod eius acumen falleret, quodque non mordicus ab eo vexaretur. De PERIZONIO videat. VRIEMOET *Athen. Frisic*. Lib. II, pag. 325.

(6) De HEMSTERHUSII vitâ et meritis non est, quod multis dicam. Notiora enim ac testatiora sunt, quam quae meâ imbecillitate explanari possint.

Natus est *Groningae* a. MDCLXXXV, patre FRANCISCO HEMSTERHUSIO, eximio medico. Studiorum in Academiâ patriâ peracto cursu, ut JACOBUM PERIZONIUM docentem audiret, *Lugdunum* venit. a. MDCCIV *Amstelaedami* Philosophiae et Matheseos Professor creatus est. A. MDCCXVII Linguae Graecae, postea quoque Historiae patriae docendae munus in Acad. Franequeranâ auspicatus est, oratione habitâ: *de Graecae linguae praestantiâ ex ingenio Graecorum et moribus probatâ.* Tandem a. MDCCXL Linguae Graecae et Historiae Universalis professionem ab Academiae Lugduno-batavae curatoribus sibi oblatam aggressus est, dictâ oratione: *de studiis humanitatis ad formandos mores et virtutis cultum deferendis.* Diem supremum

obiit a. MDCCLXVI. - Praeter laudatum RUHNKENII Elogium de HEMSTERHUSIO videantur VRIEMOET *Athen. Frisic.* Lib. II pag. 782. — WYTTENBACH in *vita* RUHNKENII pag. 20, 21, 31, 47 et passim.

(7) ALBERTUS SCHULTENS a. MDCLXXXVI *Groningae* vitam ingressus est. Civibus Academicis adscriptus, Linguae Graecae, Hebraïcae, Chaldaïcae et Syriacae omnem operam impendit, quibus Rabbinici, ut dicitur, sermonis studium adjunxit. *Groningâ* in Academiam Lugduno-batavam, omnis eruditionis ac humanitatis illo tempore optimam altricem, transiit: cum WITSII, PERIZONII et GRONOVII nomine, tum eximiâ Orientalium manuscriptorum codicum collectione invitatus. Postquam annum ibi exegisset, in Academiam Trajectinam, RELANDI audiendi gratiâ, se contulit. A. MDCCIX Theologiae Doctoris honorem in Academiâ patriâ consecutus est. — Anno MDCCXIII *Franequeram* vocatus, ut linguam Hebraïcam ibi doceret, publice dixit: *de fontibus, ex quibus omnis linguae Hebraeae notitia manavit eorumque vitiis et defectibus.* Tandem *Lugdunum* arcessitus, post alia munera Linguarum Orientalium professionem solemni oratione: *de linguae Arabicae antiquissimâ origine intimâ ac sororiâ cum Linguâ Hebraïca cognatione nullisque saeculis praeflorata puritate* auspicatus est. Anno MDCCL aetatis suae LXIV ex vitâ decessit. De SCHULTENSIO videat. VRIEMOET *Athen. Frisia*, pag. 762.

Egregia SCHULTENSIUM inter et HEMSTERHUSIUM institui potest comparatio. Eodem fere anno *Groningae* nati, primum in urbe patriâ, deinde *Lugduni* studiis incumbere inceperunt. Primum *Franequerae*, dein *Lugduni* professores exstiterunt. Alter Orientales,

alter Graecas literas, crassis occultatas et circumfusas tenebris, lumine suo illustravit earumque studium ad summum, in quo nunc est, fastigium extulit. Alter Hebraïcae cum Arabicâ, alter Graecae cum Latinâ linguâ arctissimum necessitudinis ac quasi cognationis vinculum indicavit. Alter JOANNEM JACOBUM filium et SCHRÖDERUM discipulum, alter FRANCISCUM filium RUHNKENIUMQUE discipulum patriae reliquit. Verum haec comparatio jam abunde sufficit. Tot enim tantique in iis exstitere animorum dotiumque concentus, quot quantosque commemorare et laudibus adaequare nec argumenti nobis propositi angustiae, nec mea sermonis infantia patiuntur. Conf. N. G. VAN KAMPEN. *Beknopte Geschied. der Lett. en Wetens. in Ned.*, Tom II, pag. 281.

([8]) HERMANNUS VENEMA anno MDCXCVII in Oldambtinae regionis pago *Wildervanck* vitam ingressus est. Studiorum Academicorum curriculum, *Groningae* inchoatum, *Franequerae*, duce in primis CAMPEGIO VITRINGA, perfecit. Postquam per quadriennium Ecclesiastem in pago *Dronrijp* egerat, ab illustrissimis Franequeranae Academiae proceribus S. Theologiae cathedra ei mandata est, quam suscepit oratione habitâ: *de Zelo veritatis et pietatis genuino et caritatis pleno.* Obiit *Leovardiae*, anno MDCCLXXXVII.

Erat vir singularis eruditionis, quam sibi magnâ ingenii felicitate, assiduâ animi contentione atque Herculeo, ut ita dicam, labore comparaverat, quem ardorem ne ingravescens quidem aetas retardare potuit. Nonagenarius enim, ut accepi (*), quam semel fecerat, temporis

(*) In posteriore vitae actu *Leovardiae* degentem venerandum senem saepius visit carissimus meus avus, JOANNES RUARDI, claris-

jacturam vehementer se dolere dicere solebat. Nimirum eo die, quo uxorem suam duxit, per quatuor tantum horas studiis operam dare sibi licuisse aegre ferebat. De HERMANNO VENEMA videat. VRIEMOET Op. I. pag. 787.

(9) HERMANNUS MUNTINGHE anno MDCCLII natus est in tractus Omlandici pago, qui *Termunten* dicitur. A. MDCCLXVI *Groningae* in scholas Academicas receptus atque ducibus viris cl. van LENNEP, DE RHOER, OFFERHAUS, SCHRÖDER, CHEVALLIER, ABRESCH aliisque studiis operam navare coepit. Anno MDCCLXXX *Harderovici* Theologiae docendae munus aggressus est, dicta Oratione: *de sapientiâ et bonitate divinâ in antiquissimâ religionis patefactione conspicuâ.* A. MDCCXCVIII *Groningam* ad Theologiam docendam vocatus orationem habuit continentem: *aliquot illustria, quae Ecclesiae historia suppeditat damnorum, religioni Christianae ab amicis suis et fautoribus illatorum specimina.* Septuagenarius *Leovardiae* diem obiit supremum. — De MUNTINGHIO videant. cl. YPEIJ *Leerrede ter gedachtenis van wijlen den Hoogl.* HERM. MUNTINGHE. — Clar. VAN SWINDEREN in *Diario Acad. Gron.* a. MDCCCXXVI — MUNTENDAM, *Handb. der Christ. Godsd. en Kerkgeschied.* e Latino sermone HERM. MUNTINGHII Belgice redd. pag. 482 caet.

(10) De PETRO DRIESSENIO videat Doctiss. J.

---

simus quondam in Academiâ Groninganâ Graecarum Latinarumque literarum et eloquentiae professor. Hic in variis sermonibus singularem temporis avaritiam sapientibus, hancce querelam VENEMAE excidisse, saepius narravit.

MUNNIKS, *Levensschets van den Hoogl.* P. DRIESSEN. 1829.

(11) De CANTERIS videatur S. H. VAN IDSINGA, *Staatsregt der Vereenigde Nederlanden*, tom. II, pag. 418.

(12) De JAC. ALTINGIO videat Cl. YPEIJ Oratio *de praeclaris* JACOBI ALTINGII *in disciplinam sanctiorem meritis*. 1825.

(13) De ALLARDO HULSHOVIO videat. *Leven en Character* van ALLARD HULSHOFF, *door* W. DE VOSS, *Amst.* 1795.

(14) De GERARDO HESSELINKIO videat. VAN KAMPEN, *Beknopte Geschied. der Ned. Lett.* cet. tom. II, pag. 584.

(15) De JACOBO ALBERTO UILKENSIO videat. Cl. S. STRATINGH, *Redevoering ter plegtige Nagedachtenis van wijlen Prof.* J. A. UILKENS, *Gron.* 1825. Cl. YPEIJ Oratio laud. pag. 17 et 28.

(16) Vere ISAÄCUS BULLART, *Acad. des Sciences et des Arts* dixit: « Un village, quelques lieues de *Groningue*, dont le nom est à peine connu, peut partager la gloire avec les plus fameuses villes de l'Europe " cet.

(17) Plures in docto orbe exstitere AGRICOLAE, quos omnes hoc loco enumerare nimis longum sit. Notandum tamen videtur, inter AGRICOLAS, praeter nostrum, etiam aliquem fuisse, eodem, quo noster, RUDOLPHI nomine insignitum. Hic fuit RUDOLPHUS AGRICOLA Wassenburgensis, qui hymnum composuit de D. STANISLAO tutelari *Poloniae. Cracoviae* 1519. Idem, uti videtur, scripsit congratulationem ad SIGISMUNDUM D'EBERSTEIN, *consiliarium*

MAXIMILIANI *Caesaris*. Videat. GESNER in *Biblioth*. — Quo anno noster RUDOLPHUS AGRICOLA natus sit, propter mirum scriptorum dissensum dicam, an negligentiam, non constat. Alii tradunt annum MCCCXL; uti M. LUD. GUICCIARDIN *descrittione di tutti i Paësi bassi*, pag. 288. Alii vero annum MCCCCXLII; uti *Effigg*. et *vitae Proff*. caet. pag. 28. — HARKENROTH, *Oostf. Oorspronkelijkh*. § 790. — *Levensbes. van eenige voorn. Mann. en Vrouw*. Tom. VI. pag. 40. — BRUCHERUS, *Gedenkb. van Stad en Lande*, pag. 35. — Alii annum MCCCCXLIII. uti *Series Consulum in Civit. Groning*. ad a. 1485. — Cl. TH. VAN SWINDEREN, *Nieuw Maandschrift tot nut van 't Alg*. — GESNER in *Biblioth*. — UBBO EMMIUS *Hist. Fris*. pag. 457. AGRICOLAM ad annum MCCCCXLIV referre videtur. Alii denique annum nuncupant MCCCCXLV, uti J. BULLART. *Acad. des Sciences et des Arts*. - I. F. FOPPENS *Biblioth. Belg*. Quae cum tanta sit scriptorum diversitas, certo certius nihil affirmari potest. Quia tamen omnes fere in hac re conveniunt, eum a. MCCCCLXXXV diem supremum obiisse et fere XLII annos vixisse a. MCCCCXLIII mihi probabilior videtur.

Quod ad nomen RUDOLPHI AGRICOLAE attinet, observare mihi liceat, eum proprie, uti videtur, ROELOF HUISMAN dictum fuisse. Hoc nomen HUISMAN, cum in aliis patriae partibus, tum praecipue in tractu Groningano saepissime auditur et idem significat, quod AGRICOLA apud Romanos, BAUER apud Germanos. Quemadmodum igitur alii AGRICOLAE in *Germaniâ* proprie BAUER nuncupati fuisse videntur, ita noster quoque HUISMAN

dictus fuit. — Hujusmodi nominum permutatione viri docti olim mirifice gaudebant; quâ in re DESIDERIUS ERASMUS, (GEERT GEERTS vel GERRIT GERRITS vel denique GERARD GERARDS.) PERIZONIUS (VOORBROEK) MELANCHTHON (SCHWARTZ-ERDE) KAPNIO (REUCHLIN) exemplo inservire possunt. An AGRICOLA, num vero pater ejus avusve, nomen suum Latino sermone exprimere inceperit, dubitare non licet, quia constat, fratrem JOANNEM HUISMAN, sive HUSMAN, ut vocatur apud HARKENROTH. l. l. nuncupatum fuisse.

Non convenit inter scriptores, utrum AGRICOLARUM familia inter honoratiores, an inter obscuriores apud Frisios habita sit. Primum affirmat scriptor anon. in *Effigg. et vitis Proff.* caet. posterius tradidit UBBO EMMIUS op. l. pag. 457. Mihi media inter utramque via ineunda videtur. AGRICOLARUM familiam non magnopere opibus valuisse, satis patere videtur ex epistolâ quadam, quam RUDOLPHUS fratri JOANNI misit, in quâ inter alia haec: « venit ad me nudius tertius pater tuus « turbatus et gemens; prope cum lachrymis questus est « mihi, HENRICUM fratrem pridie ejus diei clam sibi « abstulisse centum florenos nostrae monetae ex pecuniâ « sacrâ, cujus curam, ut scis, ille gerit caet." AGRICOLARUM vero familiam non omnino obscuram fuisse inde colligi potest, quod pater RUDOLPHUM suum ad literas excolendas *Groningam*, deinde *Lovaniam* miserit, JOANNES filius ut jurisprudentiae operam daret, curaverit, filium HENRICUM, quamvis de eo non multum exspectare posset, ad doctissimum HEGIUM *Daventriam* miserit. (Videat. AGRICOLAE epistola secunda ad ALEXANDRUM HEGIUM) filiam denique

ad pellicca opera et texturam pulvinariam ediscenda, *Groningam* miserit. Conf. BAYLE *Dict. cinq. edit.* pag. 101 — cl. YPEIJ *Leerrede* supra laud. pag. 43.

JOANNES AGRICOLA literis minus, quam jurisprudentiâ inclaruit. UBBO EMMIUS l. l. haec de eo scripsit: « RUDOLPHUS fratrem habuit JOANNEM, « in literis nequaquam parem, legum praecipue scientiâ ornatum, quam ob causam carus admodum THEDAE principi viduae fuit summaque apud eam auctoritate ejusque nomine per omnem *Cisamasanam Frisiam* jus reddidit et multa in legibus provincialibus explanavit, quae apud posteros etiam auctoritatem retinuerunt." Conf. HARKENROTH *Oostfr. Oorspronk.* l. l.

([18]) Cl. HEEREN, *Geschied. der Class. Literat. gedurende de Middeleeuwen*, vertaald door Mr. E. G. LAGEMANS, tom. 2, pag. 172 et 178 atque Cl. VAN SWINDEREN *Maandschrift* caet. pag. 280, qui MEINERS *Lebensbeschreibungen berühmter Männer* secutus esse videtur, scripserunt AGRICOLAM THOMAM A KEMPIS praeceptorem habuisse. Hoc magis conjecisse, quam certo certius accepisse viri clarissimi mihi videntur, quia nuspiam apud alios scriptores de hac re mentio fit. Credo potius, AGRICOLAM Groninganae scholae illo tempore nondum praeclarae discipulum fuisse. Si enim in inclytis Sanctae AGNETIS Fratrum aedibus literarum principia didicerat, hoc certe scriptores non praetermisissent. Nimirum, THOMAS A KEMPIS vel VAN KEMPTEN (proprie THOMAS HÄMMERLEIN sive MALLEOLUS) tantam famam consecutus est, ut omnium nostratium in mentibus versetur ac vehementer laudetur. De hoc praeclaro erudito videat. cl. HEEREN. op. l. pag. 170.

([19]) Hac curâ AGRICOLAM, honestum quippe juvenem, haudquaquam indiguisse quisque facile perspicit. Scriptor anon. *Effigg*. caet. haec de eo refert: « *Lo-* « *vaniae* vixit honestissime, ab omni compotatione, com- « messatione, contra gentis suae morem, alienissimus. « Tantus erat in eo literarum bonarum amor, tam in- « defessum studium, ut turpis VENERIS fornices et lus- « tra ne noverit quidem." BAYLE op. l. dicit: — — « a- « près avoir vécû dans cette ville comme un athlète" caet.

([20]) Hoc gymnasium olim CACABI, deinde vero FALCONIS dicebatur. Videant. *Effigg*. caet. — BULLART l. l.

([21]) Videat. VAN IDSINGA *Staatsregt* caet. p. 339. - Ipsum epitaphium exhibetur apud BURMANNUM *Utregts. Jaerb.* tom. II, p. 276.

([22]) Quando AGRICOLA *Lovaniâ* decesserit, non constat, nisi ex J. F. FOPPENS *Biblioth. Belg.* qui tradit hoc a. MCCCCLXV factum esse. Nescio tamen, an satis certo ex fonte hoc petitum sit. Neque etiam ex scriptorum testimoniis patet, quando in *Galliam* profectus sit et quamdiu ibi atque in *Italiâ* vitam degerit. In *Galliâ* non diu fuisse videtur, quia nullibi traditum est, quid ibi egerit et quosnam amicos habuerit. Praeterea, quae maxime expetebat in *Italiâ*, non vero in *Galliâ* quaerenda erant. Hoc satis certum est, eum a. MCCCCLXXVI et MCCCCLXXVII. *Ferrariae* egisse. Videant BAYLE *Dict.*— AGRICOLAE *Oratio in laudem Philosophiae et reliqq. Artium.*

([22]) FRANCISCUS PETRARCA a. MCCCIV, *Aretini*, ignobili *Tusciae* oppido, natus est. Mortuus est a. MCCCLXXV. De eximii hujus viri vitâ ac meritis videat. Cl. HEEREN, *Geschied. der Class. Liter.* pag.

310 sqq. aliique ibi laudati. PETRARCAE erga *Italiam* eadem, quae AGRICOLAE erga *Germaniam Belgiumque* fuere merita, quod eleganter hisce versibus expressit doctiss. HOEUFFT, in *Parnass. Belg.*:

Non ita Aretensis nato tumet ora PETRARCHA,
AGRICOLA quantum parva *Bafloa* suo.
Nempe fuit patriae doctrinae luce carenti
AGRICOLA, Italico quod fuit ille solo.

(23) De JOANNE BOCCACIONE videat. cl. HEEREN op. l. pag. 350.

(24) De HERCULE ESTENSI omnino legenda est posterior pars orationis *in laudem Philos.* caet. ubi inter alia haec inveniuntur:

« Hanc tu, optime princeps, optimis temperatam « legibus gubernas et pulcherrimis exornas gloriae tuae « titulis, nec publice solum et in commune prodes, « sed singulos quoque honestissimis emendas virtutis « tuae atque probitatis exemplis. Ignosces tu quidem, « si laudum tuarum reveritus pondus, humeros meos a « tanto honore subducam, solam eam, quae propria « est hujus loci, dixisse contentus. Quis enim modicâ « oratione tantum virtutum gloriaeque cumulum sperat « se posse complecti, qui Herculeum hoc nomen non « casu, aut temere, sed divinantium quodam praesagio « sis ab ipso incipientis vitae initio consecutus. Nec va- « nis fabulosisque commentis, aut occidendis feris, aut « monstris domandis, qualis ille famae vetustate ce- « lebratus HERCULES; sed veris illud atque certis « asseruisti virtutibus, quarum licet quotidie exempla « monumentaque videre. Nec uno tantum genere, sed « omnibus pariter tam aequali indiscretâque laudis « comparatione tamque singulis in suo genere absolutis,

« ut quamcunque quis obviam sibi arripiat, eam non « primam, sed solam putet," caet.; sed nimis magna est haec laudatio, quam quae integra hic transscribi possit.

(25) Haec spes AGRICOLAM semper alebat, fore aliquando, ut *Germania* cum *Italiâ* de doctrinae et eloquentiae laude certaret. Atque hanc spem ore et literis saepius cum amicis communicavit. In epistolâ quadam ad RUDOLPHUM LANGIUM haec ejus sunt verba:

« Unum hoc tibi affirmo, ingentem de te concipio « fiduciam, summamque in spem adducor, fore ali- « quando, ut priscam insolenti *Italiae* et propemo- « dum occupatam bene dicendi gloriam extorqueamus « vindicemusque nos, et ab ignaviâ, quâ nos barbaros « indoctos et elingues, et si quid est his incultius, esse « jactitant, exsolvamus, futuramque tam doctam et li- « teratam *Germaniam* nostram, ut non Latinius vel ip- « sum sit *Latium*."

In *Epist.* I ad ALEX. HEGIUM ita scribit:

« Non facile dixerim, quantum mihi voluptatis literae « tuae attulerint, quum quod tuae, id est carissimi mihi « hominis erant, tum quod intelligo, quotidie politiorem « te limatioremque fieri et summam in spem adducor, « aut tuo ductu, tuis monitis et institutione, aut nullius « praeterea viribus, cultiores literas in *Germaniam* per- « venturas et arcem aliquando occupaturas."

(26) Videat. AGRICOLAE orat. laud. ubi inter alia haec:

« De Musicâ quid attinet dicere, post illustrissimi « principis nostri judicium? qui cum ipsi tantum tribu- « at, quantum omnes videmus, non committam, ut vi- « dear non satis laudatum putare, quod ipse tantopere

« probarit. — — —Quae dicam autem, peculiariter nos-
« tra sunt bona, qui in pulcherrimâ hac urbe versamur:
« urbs ipsa studiis aptissima et optimus doctis deditissi-
« musque princeps. Neque enim vel ignoranda nobis
« est haec tanta nostra felicitas, vel dissimulanda. Equi-
« dem *Ferrariam*, quam rectissime fere *auream* CAR-
« BO noster solet interpretari, non aliâ mihi videor
« notâ magis proprie signaturus, quam si dicam Musa-
« rum ipsam esse domicilium et VENERIS. VENERIS
« dico (absit sinister interpres) non illius, quam flammis
« furibundisque facibus armavit vetustas, quâ nihil est
« bonis artibus perniciosius aut magis inimicum, sed
« VENERIS, id est, venustatis, otii, pacis omniumque
« rerum ubertatis."

(27) Quasnam urbes, relictâ *Ferrariâ* viserit AGRICOLA, non traditur. ERASMUS Dialogis suis *de pronuntiatione et Ciceroniano* AGRICOLAE orationem quandam, *Mediolani*, ut conjicit, habitam addidit. Hanc vero orationem in ERASMI operibus frustra quaesivi. Eximii viri verba leguntur in epistolâ ad HAJONEM HERMANNUM: « Dialogis meis de pronuntiatione et
« Ciceroniano adjeci orationem RUDOLPHI AGRI-
« COLAE *Mediolani*, uti videtur, habitam. Nihil ab il-
« lo viro proficiscitur, quod non divinitatem quan-
« dam respiret. Itaque nolim quidquid illius interci-
« dere."

(28) Syndici munere proprie non functus est AGRICOLA neque fungi poterat, quoniam hoc munus a. MDLIX institutum est. Videat. *Tegenwoord. Staat der Vereend. Nederl.* tom. XXI, p. 93. — Cl. YPEIJ, *Leerrede* supra laud. — Consiliis igitur suis patriae urbi affuisse videtur.

([29]) Videat. RUDOLPHUS AGRICOLA *Orat. in laudem Philos.* caet.

([30]) WESSELI in Theologiâ et RUDOLPHI in literis merita his verbis eleganter expressit doctus Italus GUICCIARDINI *Descrittione di tutti i Paësi bassi* pag. 288.

« — — di maniera che pensando io di dire, che « questi fussero le due stelle di Groninghen che illu- « strassero, tutta la Germania alta et bassa."

([31]) Satis constare videtur salpingorgani laudati fistulas, quae *vocis humanae* nomine veniunt, AGRICOLAM artificem habuisse. Haec *vox humana* sonoris dulcedine hodie etiam omnibus placet aptosque hac in arte judices admiratione implet.

Immortalis viri opus hodie hanc inscriptionem prae se fert:

OPUS. RUDOLPHI. AGRICOLAE
ANTE. ANNOS. CCXII. PATRIAE
HUJUS. CIVITATIS. SYNDICI
SEMEL. ITERUMVE. AUCTUM
AC. DENUO. VETUSTATE. ET. INERTI
REFECTIONE. CORRUPTUM
COSS. ET. SEN. G. OB. GRATAM
MEMORIAM. CIVIS. SUI
IMMORTALITATI. DIGNISSIMI
INTEGRITATI. PRISTINAE
RESTITUI. CURAVERUNT
EX S. C. ANN. AER. X. CIϽIϽCXCI.

OUTHOVIUS AGRICOLAM hujus salpingorgani opificem hisce versibus celebravit:

»Zie hier 'tafbeeldsel van dien grooten redenaar
»En tweeden MARO, die met zijn vergode snaar
»En heerlijk orgelwerk zoo krachtig zich deed hooren,
»Dat het van GRUNO's stad klonk tot in 's Hemels kooren.

(32) Sunt, qui AGRICOLAM ad Caesarem MAXIMILIANUM missum scripserint: *Levensbeschr. van beroemde mannen*, caet. *Nieuw Maandschrift tot Nut van 't Algemeen* Supra laudd. quod minus recte factum est, cum MAXIMILIANUS anno demum MCCCCXCIII patri FREDERICO successerit atque CAESAR salutatus fuerit. Videat *Hist. elect.* MAXIMIL. *apud* TRITH. tom. II. Quonam vero anno et quanam de causâ ad Archiducem MAXIMILIANUM profectus sit, incertum est. Suspicor hoc a. MCCCCLXXXII factum esse, quo tempore MAXIMILIANUS cum MARIA *Burgundiae* duce matrimonium contraxit ejusque sacram tutelam in se suscepit. Videat. *Groot Plakkaatboek* IV, pag. 7. Hoc enim matrimonio inito, *Groningae*, *Frisiae*, *Gelriae*, *Hollandiae*, *Zeelandiae* aliarumque provinciarum imperium filio MAXIMILIANO pater FREDERICUS tradidit.

(33) De cancellarii Burgundiensis invitamentis legi merentur, quae ipse AGRICOLA in *Epist.* I ad JACOBUM BARBIRIANUM scripsit:

« —— Quum tantis monitis, suasibus, impulsu et,
« quod superbum est dicere, sed tu vere dicere me
« nosti, propemodum blandimentis et promissis vir
« amplissimus et honestissimus cancellarius *Burgundiae*
« ut aulae me MAXIMILIANI insererem pollicere ne-
« quierit."

(34) De PLENNINGERI epistolâ deque itinere in *Germaniam* suscepto omnino legenda est AGRI-

COLAE *Epist.* I ad JACOBUM BARBIRIANUM.

(35) De hisce doctoribus in *Epist.* II ad JAC. BARBIRIANUM ita scribit AGRICOLA:

« Plerique etiam loquaces has et inani strepitu cre« pitantes, quas vulgo artes jam vocamus, sibi vindi« cant et perplexis disputationum ambagibus vel etiam, « ut verius dicam, aenigmatibus diem terunt, quae tot « jam saeculis nullum invenerunt OEDIPODEM, qui « ea solveret, nec inventura sunt unquam. His miseras « adolescentium onerant aures, haec subinde ingerunt « inculcantque et in plerisque meliorem ingenii spem « atque frugem in tenerioribns adhuc annis, velut in « herbâ, enecant. Laudo eas omnes, tamen plus certe « laudaturus, si recte ordineque tractarentur. Nec enim « tantum desipio, ut solus damnem, quas tam multi « laudant. Quidni laudem vero, quibus videam mul« tos summas opes, amplissimos honores, auctoritatem, « famam, dignitatem consecutos et quas certe vendibili« ores, ut CICERONIS verbo utar, sciam et planc « fatear, aliis nonnullis, quas steriles et jejunas vocant, « ut quae magis possunt animum explere, quam arcam."

(36) In *Epist.* I ad ALEX. HEGIUM inter alia nonnulla haec scribit AGRICOLA:

« Nosti enim stomachum meum, ut nequeam sectari « barbarorum impuritatem, horrorem eorum, qui nunc « omnia occuparunt. Nosti contra quoque stomachum « illorum, ut clament, ut insaniant et contumeliae du« cant loco, si quis audeat scita illorum convellere et « conari docere, pueros se supervacua, depravata, « quaeque senibus sibi rursus dediscenda sunt, didicis« se. Possunt tamen haec facere, ut deberem: ut de« sistam, non poterunt."

(37) Quae hic tenui et angustâ oratione proposui, fusius multo atque elegantius in epist. II ad JAC. BARBIRIANUM ipse tradidit AGRICOLA.

(38) Videat. *Epist.* II ad JAC. BARBIR. in verbis: *ut quod de vi illatâ* LUCRETIAE caet.

(39) Hanc epitomen PHILIPPI Electoris rogatu AGRICOLAM composuisse narrant scriptor anon. *Effigg.* caet. BAYLE aliique.

(40) In *Epist.* I ad ALEX. HEGIUM haec AGRICOLAE sunt verba:

— — « deinde nonnihil temporis absumit mihi, « quod praelego publice, tametsi id ipsum satis suspen- « sâ peragam manu. Est auditorium mihi, ut hoc loco, « satis frequens. Sed tamen sunt ejusmodi fere, qui « propensius cupiunt haec studia, quam commodius « possint. Maxima pars magistri sunt, aut scholastici « (ut nos dicimus) artium, quibus necesse est, omne « tempus illis suis cavillationibus impendere, angustis- « simum et velut subsecivum diei fragmentum quoddam « in haec studia patet illis; quo fit, ut ipsi minus pos- « sint et ego segnius coner."

(41) JACOBUM BARBIRIANUM (*in Effigg. et Vitis* caet. minus recte BARBIRTANUS dicitur) *Heidelbergae* discipulum non habuit AGRICOLA, sed *Antverpiae* degens eum docuit ac postea utilissimis creberrimeque missis literis praeceptor studiorumque dux ei exstitit.

(42) CONRAD CELTES, vel proprie MEISSEL a. MCCCCLIX natus primum *Coloniae* deinde *Heidelbergae*, AGRICOLA duce, literis operam dedit et postea doctrinae copiâ et felici poëseos cultu dignissimum se tanto praeceptore discipulum ostendit. Videat. Cl. HEEREN, pag. 184.

(43) JOANNIS DALBURGII studiis, quatenus hic a negotiis publicis vacaret, AGRICOLA suffragatus est eique fidelissimus praeceptor fuit. In *Epist.* I ad ALEX. HEGIUM inter alia haec legimus:

« Occupant me studia domini, quamquam parum, « quia parum vacat iis, propter multitudinem negotio- « rum, quibus quotidie destinetur."

(44) ADOLPHUS OCCO, AGRICOLAE cognatus, *Arce Augusti* medicinam tractavit. Huic Bibliothecam suam legavit AGRICOLA. OCCO hanc postea POMPEJO OCCONI reliquit, a quo ALARDUS *Amstelaedamensis* AGRICOLAE manuscripta accepit. Videat BAYLE. l. l.

(45) THEODORICUM PLENNINGERUM amicum et discipulum, PLINIUM suum dicere solebat AGRICOLA. Discipulis ejus fortassis etiam annumerari posset JOANNES REUCHLINUS. Quamvis enim HERMONYMO *Spartano*, *Parisiis* docenti, magnam eruditionis suae partem debuerit, nullus tamen dubito, quin AGRICOLAE immensa doctrina REUCHLINO, viginti et octo tantum annos agenti magnopere profuerit atque effecerit, ut tantus, quantus fuit, aliquando evaderet. De REUCHLINO videat. Cl. HEEREN op l. pag. 190.

(46) Scriptor anon. in *Effigg. et vitis* caet. sequentia verba, quibus ALEX. HEGIUS grandiores natu, ut acriter in literarum studiis persisterent, admonere solebat, tradidit:

« Ego — inquit — liberalium artium magister et qua- « dragenarius, tum quoque barbarus, perveni ad « AGRICOLAM adolescentem, praeceptorem meum « a quo, quicquid in Latinis et Graecis literis scio, aut « alii me scire credunt, didici."

Ex *Italiâ* redux AGRICOLA ad HEGIUM *Daventriae* docentem venit. Magno in discipulorum numero erat DESIDERIUS ERASMUS, cujus quum scriptionem quandam viderat AGRICOLA, hanc omnibus aliorum scriptionibus longe anteferebat adolescentemque ERASMUM videre cupiebat. Hunc igitur arcessitum, postquam aliquandiu tacens adspexerat indolisque praestantiam ex ore vultuque conjecerat: « Tu eris « magnus" inquit. Quod AGRICOLAE augurium eum minime fefellisse, postea egregie ostendit summus ERASMUS.

Eodem plane modo, ut hoc obiter moneam, de JO. MURMELLIO, qui postea HEGII in scholis *Daventriacis* successor creatus est, AGRICOLA dixit: « magna « in te ingenii vis est." Etiam de HERMANNO BUSCHIO velut auguratus est, clarum eum aliquando poëtam fore.

(47) In *Epist.* I. ad ALEX. HEGIUM his verbis utitur AGRICOLA.

« Sed ut, quod verissimum et perinde rectissimum « esse puto, dicam, destinavi senectutem meam, si mo- « do me manet senectus, studio sacrarum literarum."

(48) De literarum Hebraïcarum studio suo in *Epist.* II ad JAC. BARBIR. haec scribit AGRICOLA:

« Vide ineptiam meam quaeso; vel, ut verius dicam, « stultitiam, constitui discere Hebraïce; tamquam non « satis temporis et operae in pauculis iis Graecis, quas « scio, mihi perierit. Consecutus sum praeceptorem « quendam intra paucos annos ad fidem nostram con- « versum, cui Hebraei etiam in omni laude eruditionis « disciplinarumque suarum primas deferebant et quem « praecipue solebant doctoribus nostris opponere, si

« quando ad disputationem de fide vocarentur. Hunc « Episcopus meâ causâ domi suae alendum suscepit. Experiar, quantum potero; spero fore, ut aliquid efficiam et forte, vel ob id ipsum efficiam aliquid."

(49) In *Epist.* I ad ALEX. HEGIUM inter alia haec legimus:

« Accedunt praeter Latina et Graeca, quae mihi, « quocunque possum modo, tuenda sunt, (quamquam « et nonnihil damni in iis me facere intelligo) sed accedunt ad haec, ut dico, studia Hebraïcarum literarum, « quae mihi novum et plenum molestiae negotium exhibent, ut mihi videar cum ANTAEO luctari et multo « plus laboris in his, id quod minime arbitrabar futurum, quam in Graecis exhaurire. Nisi forte aequiore « animo praeteritorum meminimus laborum, quam praesentes subimus. Verum, utcunque sit, decretum est « persistere. Primum, quia coepi, ut constantiâ tuear « errorem, deinde quia in Graecis, in quibus, quantumvis parum effecerim, possumus tamen affirmare, « neque operae neque impensae poenitere."

(50) Summâ sane, attamen nimium exsultante, laude PAULUS JOVIUS *in Elogiis* pag. 42. AGRICOLAM effert, ubi dicit:

« Hausisti enim Hebraïcas Graecasque literas usque « adeo stupendâ celeritate, ut nequaquam *Groningiae* « in ultimâ *Phrysiâ* sed *Hierosolymis* natus ac educatus « a doctissimis crederere."

GESNERUS in *Biblioth.* prudentius AGRICOLAM Hebraïcae linguae non ignarum dicit. Prudens quoque ERASMUS in Adagio: *quid cani cum balneo* scribit:

« Extremo vitae tempore ad literas Hebraïcas ac « scripturam divinam totum animum appulerat."

Aliquatenus igitur in hisce literis jam progressus fuisse videtur AGRICOLA, quod etiam patere potest ex uno alteroque psalterio Latine reddito. conff. VAL. ANDREAS *Biblioth. Belg.* — BAYLE ll. — POSSEVIN in *Apparatu.* — TRITHEMIUS *de Scriptt. Eccless.*

([51]) Nullibi traditum invenio, an HERCULES ESTENSIS illo tempore etiam in vivis fuerit. *Ferrariam* quae circumjacent regiones, se devastatas reperiisse, in ipsâ urbe plus, quam quindecim hominum millia fame, pestilentiâ casibusque bellorum mortuos esse fratri JOANNI scribit AGRICOLA.

([52]) Haec oratio, uti ex AGRICOLAE operibus patet, prid. non. Jul. a. MCCCCLXXXV dicta est. Quam diu in *Italiâ* moratus sit AGRICOLA, incertum est. Equidem non longe absum, quin credam, eum paullo postquam ex *Italiâ* rediit, mortem occubuisse. Neque enim amicos Italos neque ipsius in *Italiâ* degendi cupiditatem eum citius *Heidelbergam* redire passos fuisse, mihi persuasum habeo.

([53]) ERASMUS chil. III cent. 3.

([54]) AGRICOLAM quinto Kal. Novembr. MCCCCLXXXV e vita migrasse testantur script. anon. *Effigg.* caet. — VIGLII ZUICHEMI Epitaphium. — GESNER *Biblioth.* — PAULI FREHERI *Theat. virorum erudit. clar.* — FOPPENS *Biblioth. Belg.* — BAYLE l. l. — BRUCHERUS *Gedenkb. van Stad en Lande* pag. 36. — *Levensbeschrijving van eenige voorn. Mannen en Vrouwen* l. l. — cl. HEEREN l. l. — *Tegenwoordige staat der Vereenigde Nederlanden* Tom. XXI pag. 94.

Quae testimonia mihi probabiliora videntur, quam quae sunt UBBONIS EMMII *Hist. Fris.* pag. 457 et script. anon. *Kronijktje van Gron. en Oml.* pag. 46 qui a. MCCCCLXXXVI tradunt. AGRICOLA *Heidelbergae* apud Minoritas in habitu Franciscano sepultus est.

Amicus ejus HERMOLAUS BARBARUS Italus orator, Patriarcha Aquiliensis hoc epitaphium in ejus honorem composuit:

Invida clauserunt hoc marmore fata RUDOLPHUM
AGRICOLAM, Phrijsii spemque decusque soli:
Scilicet hoc uno meruit *Germania* laudis,
Quicquid habet *Latium*, *Graecia* quicquid habet.

Hos versus sequenti carmine Belgice reddidit elegantis ingenii poëta Groninganus M. VAN HEYNINGEN BOSCH.

De Vriesche morgenstar, waarop nog de eeuwen staren,
RUDOLF AGRICOLA ligt onder dezen steen.
Athene's roem, bekroond met *Rome's* lauwerbladen
Heeft *Nederland* verdiend in dezen man alleen.

Pro *hoc uno* alii (RUD. AGRICOLAE. Opusc. — ERASMUS, in *Adag. quid cani cum balneo.* — GUICCIARD. *Descritt.* caet.) minus recte legerunt: *hoc vivo.*

HERMOLAI epitaphium ut in AGRICOLAE sepulcro excuderetur, curavit VIGLIUS ZUICHEMUS ab AYTTA, vir variâ eruditione, rerum publicarum usu et prudentiâ conspicuus, cum peregrinans *Heidelbergam* venisset. Videant. GUICCIARDINI *Descritt* caet. - BULLART *Academie des sciences* caet. — VIGLII documentum a MELCH. ADAM. inter *monumenta Heidelbergensia* pag. 22 ita exhibetur:

Epitaphium. HERMOLAI. BARBARI. *Veneti Patriarchae. Aquilegiensis. in. obitum* RUDOLPHI. AGRICOLAE. *Frisii*

Invida. clauserunt. hoc. marmore. fata. RUDOLPHUM
AGRICOLAM. Frisii. spemque. decusque. soli
Scilicet. hoc. uno. meruit. Germania. laudis
Quicquid. habet. Latium. Graecia. quicquid. habet

RUDOLPHI. AGRICOLAE. *Phrysii*
memoriae. posuit. VIGLIUS
ZUICHEMUS
Obiit. anno. MCCCCLXXXV
Die. XXVIII. Octobr.
vixit. annos. XLII. menses. II.

Tollenti. anathema.

Relinquenti. benedictio.

De HERMOLAO BARBARO cum alii videantur scriptores, tum in primis P. JOVIUS in *Elogiis* caet. pag. 46.

Exstat apud laud. JOVIUM etiam hoc JOANNIS LATOMI carmen in laudem AGRICOLAE:

Qui putat ingeniis patriam conferre, RUDOLPHUM
AGRICOLAM Latii dixerit esse soli,
Aut extra *Italiam* nasci minus esse beatum,
Hunc ipsum *Frisium*, qui putat, esse sciat.

AGRICOLAE picta effigies, quae deinde aere excussa est, diu apud *Baffloenses* servabatur. Haec tamen a.

MDCCXC non amplius supererat. Videat. cl. YPEIJ, *Leerrede* supra laud. Eadem effigies aere excussa recepta est inter *effigies Proff. Acad. Gron. et Oml.* et his verbis notata est.

RUDOLPHUS AGRICOLA *Baflo-omlandus in Acad. Heidelbergensi Professor.*

Atque his versibus ornata est:

Si tibi maturis tantum licuisset ab annis,
Quod medium statuis perficere, AGRICOLA!
Auctores alii poterant tacuisse diserti,
Quicquid enim ratio postulat, ipse dabas.

(55) PETRUS AEGIDIUS in Epist. AGRICOLAE operibus praefixâ, vere de AGRICOLA dixit:

« Nosti enim, ut noster hic RUDOLPHUS, uti ante« signanus quispiam cum ipsâ etiam *Graecia* et *Latio* « de doctrinae fastigio contenderit multosque militiae « literariae scientissimos, non dico aequaverit, sed et « longe vicerit: id quod satis superque ex operibus li« quet et quemadmodum elephantum a dentibus, ita « ex iis totum licebit aestimare RUDOLPHUM."

(56) In posteriore aetatis actu AGRICOLAM paucos ac fere nullos versus composuisse ut facile crederem, fecerunt ipsius verba in *Epist.* III ad JAC. BARBIR.:

« Meae Musae non tacent solum, sed prorsus obmu« tescunt, ideo nec vel unum versum, posteaquam « *Antverpiâ* decessi, feci. Nec vel cano, vel psallo, « aut ullam partem illius studii attingo, ut videar ali« quando mihi me ipsum perdidisse."

(57) Variae AGRICOLAE operum editiones apud CLEMENT *Biblioth. Curieuse Historiq. et Critiq.*

enumerantur; quo cum conferantur FOPPENS *Biblioth. Belg.* — GESNER *Biblioth.* et BAYLE l. l.

1°. RUDOLPHI AGRICOLAE Opuscula *Antverpiae* a. 1476.

Hanc editionem ab ipso AGRICOLA, dum *Antverpiae* morabatur in lucem editam esse conjicio. AGRICOLAM a. MCCCCLXXXI *Antverpiae* degisse ex *epist.* I et III ad JAC. BARBIR. Satis patet. Ex *epist.* II ad eundem AGRICOLAE carmen, quod ANNA *mater* inscribitur typis expressum esse, apparet. Mihi igitur haecce editio a. MCCCCLXXXI ab ipso AGRICOLA parata videtur.

2°. RUDOLPHI AGRICOLAE *viri utriusque literaturae peritissimi opuscula nonnulla apud* THEOD. MART. ALOST. a. 1511.

3°. RUDOLPHI AGRICOLAE *opuscula*. *Basiliae apud* ANTON. CRATANDRUM *et* SERVATIUM CRUPTANIUM a. 1518.

4°. RUDOLPHI AGRICOLAE *de Invent. Dial. Libb.* III. *Argentinae* a. 1521.

5°. RUDOLPHI AGRICOLAE *de Invent. Dial. Libb.* III *cum Scholiis* JO. MATTH. PHREISSEMII. apud TIM. COLINAEUM *Parisiis* a. 1529. Eadem editio repetita est a. 1533, a. 1534, a. 1548,

6°. RUDOLPHI AGRICOLAE *de Invent. Dial. Libb.* III *cum Scholiis* JO. MATTH. PHREISSEMII. *Lovaniae* apud HIERON. ALOPECIUM.

7°. RUDOLPHI AGRICOLAE *de Invent. Dial. Libb.* III cura ALARDI *Amstelaed. Coloniae* a. 1516.

8°. RUDOLPHI AGRICOLAE *de Invent. Dial. Libb.* III *Daventriae* curâ JAC. LE FEBRE, quae tamen nullo pacto ab ALARDI editione discrepat.

9°. RUDOLPHI AGRICOLAE opera omnia cum notis et curâ ALARDI. *Coloniae* a. 1539, Tom. II.

Harum omnium editionum unam tantum vidi eam, quam secundo loco nuncupavi (scilicet antequam hoc opusculum conscripsi). Quae igitur hocce fasciculo continentur breviter enarrare, meum esse duco.

I. Primum nobis occurrit PETRI AEGIDII *Antverpiensis* epistola MARTINO DORPIO *Theologo* scripta, quâ AGRICOLAE opuscula nonnulla huic ab amico dedicuntur.

II. Epistola RUDOLPHI AGRICOLAE RUDOLPHO LANGIO missa, cui adjungitur PLATONIS AXIOCHUS de contemnendâ morte Latine redditus.

Ex hacce versione egregie patere potest, quam accurate AGRICOLA PLATONIS mentem linguamque Graecam tenuerit. Oratio enim pura est et elegans, fideliter Graeca verba referens.

III. RUDOLPHI AGRICOLAE *traductio in epistolam de congressu Imperatoris* FREDERICI et CAROLI *Burgundionum ducis.*

Huic versioni praemittitur epistola, quam ANT. SCROFINIO misit AGRICOLA. Literae ipsae sunt, ARNOLDI DE LA LAING divae MARIAE *Brugensis* praepositi PAULO BAENST Rectori Papiensi scriptae, quas ex Gallico sermone Latinas fecit AGRICOLA: non tamen verbum e verbo exprimens, sed contractius latiusve res explicans.

IV. *Ejusdem familiaris epistola, Antverpiensis scholae abrenunciantis; in quâ de scholasticis taediis deque antiphrasico ejus nomine. Item de rumore vano super vita* CAROLI *ducis et utilis tandem commonitio qualis ludi literarii magister eligendus sit.*

RUDOLPHUS AGRICOLA *suo* JACOBO BARBIRIANO *salutem plurimam.*

Est elegans sane haec epistola et ad AGRICOLAE vitam cognoscendam utilissima.

V. Ejusdem RUDOLPHI AGRICOLAE *Phrysii de formando studio epistola elegantissima.*

RUDOLPHUS AGRICOLA JACOBO BARBIRIANO *salutem plurimam dicit.*

Quae hac epistola continentur in oratioue meâ breviter exposui, quare eam lectoribus satis innotuisse arbitror.

VI. RUDOLPHUS AGRICOLA ALEXANDRO HEGIO *suo salutem plurimam dicit.*

Haec epistola, etsi brevissima, suavitate sua, sermonis nitore, styli praestantia, lectori valde placet summoque viro dignissima mihi videtur.

VII. RUDOLPHUS AGRICOLA *suo* JACOBO BARBIRIANO *salutem plurimam dicit.*

In hisce literis comiter et jucunde scriptis integerrimum amicum se probat, quantique suos faciat, abunde testatur. Haec quoque, uti omnes ejus literae, CICERONIS brevitatem, simplicitatem, PLINII junioris suavitatem aliquantum redolere mihi videntur.

VIII. RUDOLPHUS AGRICOLA *suo* ALEXANDRO HEGIO *salutem dicit.*

Speciminis ergo verba a quibus haec epistola orditur describere mihi liceat.

« Dolui, suavissime ALEXANDER, si quid mihi « credis et quam potui aegerrime tuli, ut ex literis tuis « accepi, fuisse te hic interea, quum ego abessem. Ne« que id tam, quod tu spe profectionis tuae frustratus « es congressu sermonibusque nostris, quam quod mihi

« usus studiorum meorum, licet brevis, licet exiguus,
« aliquis tamen ereptus est, quantuluscunque is fuisset.
« Putassem enim magnum eum, quando nihil mihi jam
« non magnum est, quicquid occasionis mihi datur ad
« studia, et omnibus carenti pro maximo est, quod-
« cunque contingit."

Deinde vehementer conqueritur, se tantum literarum damnum fecisse postquam ex *Italiâ* decesserat. Porro fratrem HENRICUM Hegianae disciplinae commendat. Tandem, quoniam praesenti amico prodesse sibi non licebat, scribendo praeceptorem agere incipit. Exponit, quod ab eo petierat HEGIUS, quid inter *mimum*, *histrionem* et *personam* intersit. Deinde, quid *scurra*, *parasitus*, *nebulo*, quid *nepos*, *ἄνθρωπος* aliaque multa vocabula significent, atque unde originem ducant, explicat. Mira in his omnibus regnat subtilitas, ingenii acumen, infinitaque doctrina. Posteriore parte epistolae nonnulla minus recte, minusve Latine ab HEGIO scripta enucleat atque emendat. Denique his verbis epistolae suae colophonem addit:

« Habes, quod facere te velim: et ad interrogata re-
« sponsum et de epistolâ tuâ censuram. Quae si tibi pa-
« rum grata sunt futura, desines post hac exhibere mihi
« negotium; aut si perges molestus esse nimirum paria
« pro paribus exspectabis. Apud Graecos in proverbio
« est: cicadam alis prehendendam non esse, quae ut
« coeperit strepere, desinere nesciat. Ita, ubi quod ve-
« lis ex me audire quaesieris, saevâ etiam mercede, quod
« nolis, audiendum est, faciliusque loquacitatem meam
« evoces quam compescas. Quin tu calamum arripis hoc-
« que inultum me ferre non sinis et cum fines tuos defen-
« deris tum meis infer bellum meoque me confode ex-

« emplo; cujus rei diligentes vigilatique laboresmei « nedum, negligentius profusa epistola plenam tibi at« que uberem praebuerint materiam. Nec est, quod of« fensum me iri vereare. Agam etiam gratias ultro idque « in praecipua benevolentiae tuae parte numerabo. Nec « tam, nihil tibi displicuisse in eâ si totam probaris, « quam totam contempsisse si nihil improbaveris, pu« tabo."

IX. RUDOLPHUS AGRICOLA JOANNI AGRICOLAE *suo fratri salutem dicit.*

Ex hac epistolâ, qualis fuerit ejus erga fratrem amor optime cognosci potest. Hujus enim in gratiam ISOCRATIS ad DEMONICUM Paraenesin ex Graecâ linguâ Latinam fecit literisque suis addidit.

X. RUDOLPHI AGRICOLAE *oratio in laudem Philosophiae et reliquarum artium.*

Haec est laudata illa oratio, quâ audita obstupuere Ferrarienses. In hac enim AGRICOLAE eloquentia consummata enitet, adeo ut non Germanus, verum vel Romanus, vel saltem felicissimus Romanorum oratorum sospitator, quales MURETUS RUHNKENIUSQUE exstiterunt, videatur. Magnum est, fateor, quod dico; attamen mihi verissimum videtur. Equidem tanto non polleo judicio, ut meae sententiae inhaerere ac confidere facile velim. Imbecilitalis enim meae et juvenilis tenuisque optimarum rerum scientiae probe conscius sum. Quare AGRICOLAE in eloquentiâ atque Latino sermone merita plane perspicere ac determinare me minime valere confiteor. Verum, nisi me fallant omnia, nisi omnis prorsus pulcri decorique sensus expers sim, AGRICOLAE, quam laudavimus, oratio ad MURETI RUHNKENIIQUE laudem in plurimis prope accedit. Ne ve-

ro penitus ineptus locutus videar, speciminis loco nonnulla ex hac oratione describere animus est. Quod dum facere conor, nescio unde initium ducam et quaenam potius seligam. Tantopere ubique mihi placet arridetque haec oratio.

His verbis de philosophiae dignitate loquitur:

« O quantum hoc est et quam vere divinum, quod « tam paucis hominibus contingit! quae potest autem « major esse, quae certior philosophiae divinitas, quam « nullis claudi terminis, nullo spatio contineri. Vadit « enim sacer viri eruditi animus, liber, solutus, nullis- « que coercitus metis et, quacumque rerum natura pa- « tet, vagatur. Nec terras et maria solum, sed sidera « ipsa cognatosque coelos pererrat, non tenuissima effu- « giunt ipsum, non altissima inaccessa sunt, non densis- « sima resistunt; comprehendit, exsuperat, pene- « tratque cuncta. Quin etiam velut in possessionem « quandam suam veniens, omnia sui facit juris. — — — « Non ille vilia concupiscit, non illicitis distringitur « votis et solus, quaecunque sunt, novit, quaecun- « que vult, potest. Quid est quo proprius Deum possit « imitari?" — —

Alio loco haec ejus sunt verba:

« Aera videmus, ubi coelo sua constitit facies immotum « manere atque tranquillum: maria post procellas at- « que tempestates sterni pigraque jacere: terras non « nisi imbribus labefactas, solibus excoctas, laboribus « domitas, tandem velut invitas victasque famem nos- « tram satiare. Ipsum quinetiam coelum credo, nisi in- « victa illud indefessaque vis perpetuâ vertigine rotaret « quieturum jam pridem fuisse, quod traditur utique « quandoque fore, ut quiescat. Adeo omnibus his non

« conatus aut vigor inest ullus neque norunt aliud quic-
« quam, natura monstrante, quam torpere. Animus con-
« tra vegetus, alacer, expeditus opere gaudet excitatur-
« que actione quodque reliquis labor est, id est sibi natu-
« ra. — — Utque semel mensuram jucunditatis, quam
« praebet philosophia complectar, tanta est, ut sub
« ipsa reliqua omnia nostra secunda quidem, sicut sub
« sole sidera minora latent; adversa, sicut tenebrae,
« naturam fulgore permutant. Permutant, inquam,
« quum in sapientiam inciderint, naturam suam adversa.
« Quibus hoc digne prosequar verbis? Quibus laudi-
« bus tantam majestatem tantumque philosophiae nu-
« men exaequem? Dat illa, propter quae continuis
« Deum flagitamus votis, subjicit suis legibus fortunam
« et quamvis ferocem saevientemque in vacuum effun-
« dere minas cogit. Res profecto major est, quam
« quae ab hac meâ imbecillitate et apud paucos dicatur;
« sed quae sonantem uberrimamque facundiam poscat
« et quam, quicquid usquam est hominum, queat
« exaudire, quando genus humanum nullâ in re impen-
« sius elaboravit, quam ut imminentes casuum impetus
« evitaret. In hoc aequatas nubibus Alpes et nivibus
« montes glacieque concretos, labante vestigio perrepi-
« mus. In hoc fragili nos in maria nave jacientes arbitrio
« ventorum fluctuumque pendemus inter undas. In hoc
« avias solitudines inter feras ferisque praedae efferatiores
« homines pererramus inter ignotas gentes, alienâ patriâ,
« ubi vel hiberni caleant soles, vel aestivo gelu rigeat
« terra, per ferrum, ignes, saxa raptamur; augemus
« vires nocendae fortunae, dum, ne noceat, prospici-
« mus, provocamus pericula periculis et mortis metu
« ruimus in mortem et tamquam contra naturam detor-

« ti atque a tergo habentes oculos, videt quisque, quod « fugiat, quo se praecipitet, considerat nemo. Nonne « merito exclamat philosophia :

O stultas hominum mentes! o pectora caeca!
Qualibus in tenebris quantisque periclis
Degitur hoc aevi!

« Illa ergo miserta nostri benignam medicamque hu- « manis malis adhibet manum; illa jactatum turbine re- « rum animum confirmat et restituit; illa docet veris « cuncta pretiis aestimare. ——— Tenet rectam in omnia « philosophia frontem et adversa haec ipsa esse negat. « Docuerunt alii, quâ ratione indito sensibus stupore « inter dolores tormentaque patientia praestaretur mor- « tuorum. Illa melius docet, quo scientes potius ista sen- « tientesque contemnamus. Omni itaque loco, omni « tempore adest nobis et contra fortunae tela propugnat « fida, benigna, erecta, excelsi invictique animi. Non « paupertatem aspernatur, non exilium refugit, non « carcerem exhorret, adscendit etiam in equuleum, « discussisque tormentis, consolatrix confirmatrixque « contra supplicia consistit."

XI. Ejusdem RUDOLPHI AGRICOLAE *Phrysii gratulatoria oratio pro* JOANNE CAMERARIO DALBURGIO, *Vormatiensi Episcopo ac oratore illustrissimi* PHILIPPI *Comitis Palatini Rheni, dicta* INNOCENTIO VIII *Pontifici maximo.*

Sequuntur quaedam elegantissima ejusdem RUDOLPHI AGRICOLAE *Carmina.*

De RUDOLPHO AGRICOLA poeta videatur P. HOFMAN PEERLKAMP (quondam Rector Scholae Harlemensis, nunc vero clar. in Acad. Lugduno-batavâ Litt. Humm. Prof.) *De vita ac doctrina Belgarum*,

qui Latina carmina composuerunt pag. 18. ubi hoc JANI SECUNDI carmen exhibetur:

Ex quo Germanos vates celeberrimus inter
RUDOLPHUS, Frisii lausque decusque soli,
Dulcia contentis modulatus carmina nervis
Traxit Apollineas in sua vota deas.

Nullum praeter epigrammata aliquot AGRICOLAE carmen vidit cl. PEERLKAMP, quod dolere se scribit, quodque cum eo perquam doleo. Nam si omnia, quae supersunt ejus carmina legisset, majoris, quam fecit, AGRICOLAM sine dubio fecisset. Etsi enim nimia videtur, quam ERASMUS illo dedit laus, qui eum alterum MARONEM dixit, tamen inter aevi sui poëtas longe princeps exstitisse videtur.

I. *Carmen Heroicum de vita divi* JUDOCI (110 versibus constans).

Hoc carmen, in quo, ni fallor, haud omnino infelix VIRGILII imitatio agnoscitur, ab hisce versibus incipit:

Regia progenies, veterum stirps clara Brittannum,
Ecce nitet rutila JUDOCUS luce per orbem!
Ingens quale micat sidus, quo saepe viator
Nocte regens iter et montis praerupta, vel undas
Stagnantis fluvii, nigraeve paludis hiatum
Effugit et multo mercatur lumina voto.

II. RUDOLPHI AGRICOLAE ANNA *mater* (310 vss.)

Hoc carmen ab hisce versibus orditur:

ANNA parens summae genetrix veneranda parentis,
Quae pandis populis prima salutis iter
Atque paris matrem cujus, quem non capit orbis,
Ipse lubens subiit viscera casta Deus.
Te cano, tu sancti, posco, mihi carminis haustus,

Ingere voce sacra pectora nostra rigans.
Ast mihi si centum sint uno pectore mentes
Et totidem linguas, tot moveamque sonos:
Nulla tamen te digna queam praeconia laudum
Dicere, nec meritis te cecinisse modis.
Exsuperat quoniam mortalis carmina laudis
Virtus, quâ superas sidera summa poli.

III. MAURITII *comitis* SPEGELBERGI *Epicedion* (200 vss.)

Speciminis ergo sequentes versus describam:

Phoebe veni, nigrâ crines umbrante cupresso,
Neve manu citharam sertave fronte geras
Et tibi dulcisono crepitu sint carmina longe
Proferat ex habitu se facieque dolor.
Tristis ades, comitem te tristibus advoco sacris,
Vatis ut officio funera flenda colas.
Vos quoque PIERIDES, Heliconia turba, sorores
Huc et cum moesto jungite fratre gradum.
Vos quoque si fas est turbari lumina fletu
Divûm, si lacrymas vester habetque dolor.
Famaque non vana est, quod fleverit ORPHEA mater,
Membra videns Thressas spargere rapta nurus.
Candida jam manibus contundite pectora jamque
Tingite purpureas rore cadente genas.
Ille pius vates et toto pectore vester.
MAURITIUS cultor, vester alumnus obit.

IV. *Ejusdem* RUDOLPHI AGRICOLAE *de omnibus sanctis hymnus* (24 vss.)

V. RUDOLPHO LANGIO (64 vss.)

VI. CASPARI ABBATI *montis sancti* GEORGII (89 vss.)

VII. *Ad* JODOCUM BESSELIUM *hendecasyllabon* (63 vss.)

VIII. *Quinque Epitaphia* PHILIPPO PHILIPPI *Ducis Brabantiae notho* (42 vss.)

IX. MARGARITAE *et* LUDOVICAE *sororibus epitaphium* (10 vss.)

X. *In faciem* CICERONIS *initio orationum suarum pictam* (distichon.)

XI. *In facies duorum amantium pictura expressas* (distichon.)

XII. *Duo epigrammata* (5 vss.)

Haec sunt AGRICOLAE opera, quae vidi. Exstant praeterea sequentia.

I. De inventione Dialectices libre III *Biblioth. curieuse Hist. et crit. par* CLEMENT — FOPPENS *Biblioth. Belg.*

Hoc opus ab omnibus eruditis eximie laudatur. Unus tamen J. BAYLE in Dict ll. haec scripsit:

« Ce n'est pas dans cet ouvrage, qu'on peut admirer
« le Latin d'AGRICOLA, ni les manières polies du siècle
« d'AUGUSTE."

Apud eundem BAYLE haec viri doct. DE LA MONNOIE sunt verba:

« Cet ouvrage, qui est le chef d'oeuvre de RODOL-
« PHE a toujours été generalement estimé pour l'exac-
« titude du style et du raisonnement.

Mihi vero sufficit DESIDERII ERASMI testimonium in tractatu *de ratione conciocinandi*:

« De his accuratissime nostro seculo scripsit vir, im-
« mortali gloriâ dignus, RUDOLPHUS AGRICOLA.
« Scripsit autem exactissimâ curâ, phrasi vero, quâ ni-
« hil esse potest expolitius; sed acumina quaedam af-
« fectata, veluti de primâ materiâ ac degressiones, qui-
« bus nunc a BOËTIO, nunc ab ARISTOTELE, nunc

« ab aliis magnâ subtilitate dissentit, satis declarant, « illum hoc opus non cudisse pueris ediscendum, sed « eruditis viris admirandum."

Insigne summi ERASMI testimonium, cum ingenti hujus opusculi editionum multitudine, tum Italorum de eo judicio, valdequam corroboratum mihi videtur. (Conf. P. JOVIUS in Elogio) HORATIUS TOSCANELLA eximium AGRICOLAE opus Italice reddidit, qui liber ita inscribitur: RODOLFO AGRICOLA *della invenzione Dialettica tradotto da* ORAZIO TOSCANELLA *in Venezia.* 1567.

II. De *Universalibus quaestiones singulares.*

III. *Scholia in Orat.* CIC. *pro lege Manilia.*

IV. APHTONII *Progymnasmata interpr.* AGRICOLA.

V. PRISCIANI *Caesariensis exercitamenta ex Hermiogene.*

VI. *Commentariola in* SENECAE *Rhetoris Declamationes.*

VII. *Oratio de nativitate sive immensâ natalis diei* JESU CHRISTI *laetitiâ.*

VIII. *Oratio in laudem* MATTHIAE RICHILI.

IX. ISOCRATIS *de regno interpr.* AGRICOLA.

X. LUCIANI *de non credendis relationibus.*

XI. LUCIANI *Micyllus* sive *Gallus.*

XII. Epistolae nonnullae.

XIII. Carmina nonnulla.

(58) Hoc adeo verum est, ut non dubitem TACITI AGRICOLAM suum laudantis verba etiam ad nostrum transferre:

Finis vita ejus luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine curâ fuit. — — *Nec quis-*

quam auditâ morte AGRICOLAE *aut laetatus est aut statim oblitus est.*

(59) Scriptor anon. *Effigg. et vitae* caet. haec de eo testatur:

« Cetera erat vir prudens, liberae et veracissimae « linguae, moribus gravis, a livore, malevolentiâ ac « petulantiâ alienus. Nec solebat irritare morosos et « φιλονείκους intempestivis reprehensionibus, ne « quid certaminis sereret, in scholâ saepe recitans « Graecum versum:

ξένον δὲ σιγᾷν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι

(60) Amabat laetos amicorum coetus, ibique hones te non splendide vestitus veniebat. Quamvis in aliis ab omni rusticitate quam maxime alienus esset, in conviviis tamen minus saepe politus videbatur. Cogitabundus ènim mensâ innitens, ungues nonnumquam demordere solebat.

(61) AGRICOLA exigiam admodum sui existimationem habebat et quantumvis magnus et eruditus exstiterit, semper dolebat tot tantaque etiam sibi deesse. Hoc eum ex iis, quae de studio Hebraïco testatus est, tum ex epistolâ II ad ALEX. HEGIUM luculenter apparet. In laudatâ epistolâ haec scribit:

« Difficile est, ut explicem tibi, quam mihi omnia « mea et ipse ante omnia displiceam. Perit mihi quotidie « studiorum nescio amor, an usus dicam; certe usus et « ob id fortassis paulatim et amor; sentio, quam magnum « damnum fecerim literarum, postea quam ex *Italiâ* de- « cessi. Si tamen eae sunt literae meae, in quas magnum « possit damnum cadere. Jam labi memoria auctorum, « jam historiae excidere, jam verborum proprietas, copi- « a, decor defluere incipiunt. Si quid solutâ oratione

« tento scribere, difficulter sententias et eas pigras in
« ertesque et quae tantum implent locum, suppedito.
« Oratio ipsa horrida, disiecta, incomposita, qualis
« fortasse semper, sed nunc tamen solito magis talisque
« quae rem, quam dicere cupio, designet potius, quam
« explicet. Versum rarissime quidem, sed si tamen fa-
« cio, non pedes in ordinem, non sonus carminis, non
« spiritus respondet et utcunque provenere, non qua-
« lia probem sed qualia possim effundo aut exprimo
« (verius dixerim) et reluctanti pectori evello. Cujus rei
« praeter alia haec mihi causa est, quam, quum aliis
« magnam credo, tamen mihi maximam esse intelligo:
« deest enim acerrimus mihi studiorum stimulus exactor
« eorum et socius, quocum communicem, in cujus aures
« ego, ut itidem in meas ille, deponat quicquid cogitan-
« do invenerit, scribendo effecerit, legendo didicerit et
« vel laude dignum, vel acriore judicio annotarit qui-
« que semper ingerat aliquid, percontetur, dubitet, dis-
« ceptet, modo negligentiam liberiore reprehensione
« castiget, modo conatum benigniori provehat laude
« (utque semel sincere omnem inter studia benevolentiae
« fructum complectar) qui dicere verum quique audire
« sciat et velit."

Haec, quae animi aegritudine quadam, quam Graeci μελαγχολίαν dicunt, laborans scripsit AGRICOLA, fecerunt, ut cl. HEEREN, op. l. p. 185, haec dixerit:

« Men mag dus twijfelen, of AGRICOLA zelfs bij een
« langer leven nog wel met groote kracht zou werkzaam
« geweest zijn, te meer, daar hij begon zich geheel
« aan de theologische studiën over te geven, en het
« aanleeren der Hebreeuwsche taal zijne geliefkoosde
« bezigheid werd."

Hanc vocem, mallem, ne viro clarissimo excidisset. Idem enim, quod de AGRICOLAE studio Hebraïco dixi, hic valet. Magna ingenia sibi semper displicent et diffidunt, parva vero sibi adulantur magnaque semper sui existimatione aluntur.

Queritur AGRICOLA, « jam verborum proprietas, « copia, decor defluere incipiunt. — — Oratio ipsa « horrida, disjecta, incomposita, qualis fortasse sem- « per" caet. Legatur, quaeso, omnis ea epistola elegantissimo, ut mihi quidem videtur, stylo conscripta et omnes eas querimonias injustissimum aegrotantis animi opus esse cuique facile persuasum erit. Quantâ enim subtilitate, quantâ doctrinâ in plurimorum verborum originem, significationem atque vim inquirit! Equidem ei credere malo, ubi in epistolâ I ad ALEX. HEGIUM scribit:

« Accedunt praeter Latina et Graeca, quae mihi « quocumque possum modo tuenda sunt — — studia « Hebraïca."

Desiderabat semper quidem *Italiam*; attamen *Heidelberga* multum quoque ei placebat. Videant. *Effigg. et vitae.* caet.

(62) Egregia nonnulla DES. ERASMI de RUD. AGRICOLA testimonia jam supra tradidi. Tria etiam addenda supersunt.

I. In Adagio *quid Cani et balneo* hac eximiâ laude eum effert ERASMUS:

« Hoc equidem adagium eo lubentius refero, quod « mihi refricat renovatque memoriam pariter ac desiderium RUDOLPHI AGRICOLAE Frisii, quem ego « virum totius cum Germaniae tum Italiae publico summoque honore nomino: illius, quae genuerit, hujus,

« quae literis optimis instituerit. Nihil enim unquam hoc « Cisalpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus « absolutius (absit invidia dicto). Nulla erat honesta « disciplina, in quâ vir ille non poterat cum summis « artificibus contendere. Inter Graecos Graecissimus; « inter Latinos Latinissimus. In carmine MARONEM « alterum dixisses, in Oratione POLITIANUM quen« dam lepore referebat, majestate superabat. Oratio, vel « extemporalis, adeo pura, adeo germana, ut non « Frisium quempiam, sed urbis Romanae vernaculum « loqui contenderes. Eloquentiae tam absolutae parem « adjunxerat eruditionem. Philosophiae mysteria om« nia penetraverat. Nulla pars musices, quam non « exactissime calleret. Extremo vitae tempore ad Lite« ras Hebraicas ac Scripturam Divinam totum animum « appulerat. Atque haec conantem fatorum invi« dia virum terris eripuit nondum annos natum qua« draginta, sicut accipio. Extant paucula quaedam « illius monimenta, epistolae quaepiam, carmina item « varii generis, AXIOCHUS PLATONIS Latinus fa« ctus, ISOCRATES *ad* DEMONICUM; tum una atque « altera oratio habita in publico Ferrariensium coetu « scholasticorum: nam illic et didicit et publice do« cuit. Latitabant apud nescio quos commentarii dia« lectices. Nuper in publicum prodierunt, sed mutili. « Verterat et LUCIANI Dialogos aliquot; sed ut ipse « erat gloriae negligens et plerique mortales rem aliquam « sanequam indiligenter curare solent, nondum in lu« cem emerserunt. Quamquam haec ipsa, quae exstant, « tametsi ne editae quidem ab ipso, plane divinitatem « quandam hominis prae se ferunt. Verum, ne videar « homo Germanus immodico patriae studio coecutire,

« HERMOLAI BARBARI Veneti de eo epitaphium « subscribam elegantissimum profecto et de quo du« bites, utro sit dignius, ipsone qui scripsit, an hoc, « quem eo exornavit."

(Sequitur HERM. BARBARI epitaphium supra transscriptum.)

« Quaeso, quid nostro RUDOLPHO potuit amplius, « aut omnino magnificentius contingere, quam testi« monium tam splendidum, tam plenum idque reddi« tum non vivo, sed jam defuncto, ne quis ab amore « magis, quam a judicio profectum causari posset. « Deinde non a Germano, ne quid patriae communis « studium elevet testimonii pondus. Denique ab eo vi« ro, qui non solum Italiam suam, verum etiam omne « hoc seculum nostrum illustravit; cujus tanta est apud « omnes eruditos auctoritas ut impudentissimum sit ab « eo dissentire, tam insignis in restituendis literis utili« tas, ut aut a literis omnibus alienissimus, aut certe in« gratissimus habeatur, apud quem HERMOLAI me« moria non sit sacrosancta."

II. In *Ciceroniano* suo haec de AGRICOLA testatur ERASMUS:

« LANGIOS igitur et CANTEROS omittam. RUD. « AGRICOLA sufficit unus pro multis. — Agnosco vi« rum divini pectoris, eruditionis reconditae, stylo mi« nime vulgari, solidum, nervosum, elaboratum, com« positum, sed qui nonnihil resipiat et QUINCTILIANO « in eloquendo et ISOCRATIS in orationis structura; « utroque tamen sublimior, QUINCTILIANO etiam « fusior ac dilucidior. Quod voluit, praestitit; nec « dubito, quin CICERONIS figuram potuisset effin« gere, si huc vertisset animi studium. Et huic tamen

« ad summam laudem cum alia quaedam obstitere, tum « praecipue regionis ac temporum infelicitas, quibus « vix quicquam honoris habebatur literis politioribus et « nationis parum fragilis vita. In *Italiâ* summus esse po« terat, nisi *Germaniam* praetulisset."

III. In *Epist. ad* PETRUM *Episcopum Cracoviae* hanc insignem laudem AGRICOLAE tribuit ERASMUS:

« Profuit et AGRICOLAE codex typis excussus « *Tarvisii* ante L annos, quem is vigilantissime vide« tur evolvisse. Arguebant hoc notulae manu ipsius, « quibus innumera loca correxerat; sed in multis, ut « apparebat, divinationem ingenii secutus magis, quam « exemplaris vetusti fidem. Incredibile, quam multa « divinarit vir ille plane divinus. Non enim possum « RODOLPHI dotes et plurimas et eximias complecti « brevius."

(63) Magnum sane et grandiloquum PAULI JOVII, in *Elogiis* pag. 42 est laudis praeconium.

« Quis non te, RUDOLPHE AGRICOLA, inusita« to et plane portentoso conspirantium siderum con« cursu natum esse fateretur, si vim coelestis, tam va« rie radiosi luminis, non secus ac in astris, cursum, « certior dico deprehenderet. Hausisti enim Hebraïcas « Graecasque literas usque adeo stupendâ celeritate, « ut nequaquam *Groningiae* in ultimâ *Frisiâ*, sed « *Hierosolymis* natus ac educatus a doctissimis crede« rere. Latinas porro tantâ felicitate didicisti, do« cuistique, ut exacta puritas ac illa nobilis uber« tas Romanae eloquentiae, nostro cum pudore, in squa« lenti asperoque Oceani litore quaerenda videatur. Vi« vent profecto in admirantium manibus tua illa, quae

« avide legantur, in Dialecticis et Rhetoricis praecepta et « divini ingenii carmina, quibus vel illustribus poëtis « numeros excusisti. Nos vero in magno vitae tuae desi- « derio aut numinum, aut certe syderum inconstan- « tiam indignantes usquequaquam mirabimur, quae « tantis cumulatum muneribus virum terris tantum os- « tenderint, graviore quidem injuriâ humani generis, « cum ille coelesti curâ fortasse dignior in secundissimo « foecunditatis cursu raperetur. Defunctum" caet.

(64) Nemo, ut mihi videtur, brevius simul et absolutius AGRICOLAE merita complexus est, quam GUICCIARDINI doctissimus Italus, cujus laudatio jam supra a nobis exhibita est, pag. 72.

(65) GER. JO. VOSSIUS *de Hist. Latin.* inter alia multa haec de AGRICOLA testatur:

« Vir fuit Latine, Graece, Hebraice doctissimus, « philosophus summus atque idem admodum disertus « imo et Musicae, picturae aliarumque artium studio- « sissimus."

(66) Ingens sane numerus est eorum, qui AGRICOLAM impensis suis laudibus dignum judicarunt. Quos omnes enumerare nimis longum foret. Nonnullorum igitur commendationes descripsisse sufficiat. LUD. VIVES VALENTINIANUS Hispanus, vir eruditissimus, (Videat P. JOVIUS *in Elogiis doct. vir.* pag. 141.) Lib. II de C. D. Cap. 21. haec de AGRICOLA testatur:

« Vix et in hac nostrâ et patrum memoriâ fuit unus « atque alter dignior, qui multum legeretur, multum- « que in manibus haberetur, quam RUD. AGRICOLA « Phrysius. Tantum est in ejus operibus ingenii, artis, « judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiae, eruditio- « nis. At is paucissimis noscitur, vir non minus, qui ab

« omnibus cognosceretur dignus, quam POLITIANUS « vel HERM. BARBARUS, quos meâ quidem sententiâ « et majestate et suavitate dictionis, non aequat modo, « sed etiam vincit."

PETRUS BEMBUS, Lib. VI *Epist. ad* ERASMUM, haec scribit:

« RUDOLPHI AGRICOLAE scripta maxime om- « nium, qui aetate nostrâ scripserunt, mihi quidem « probantur."

UBBO EMMIUS, *Hist. Fris.* pag. 457, postquam WESSELUM laudaverat, ita de AGRICOLA loquitur:

— — « Atque hujus porro e lampade lumen accen- « dens suum RUDOLPHUS AGRICOLA aetate junior, « eadem in regione *Frisiae*, obscuris natalibus apud « Bafloos ortus, tantum sibi in literis nomen paravit per « omnem Europam, ut non solum caeteros ante se Ger- « manos, per multa retro secula, quod in confesso « est, sed ipsum etiam WESSELUM superarit, Gallos « vicerit, Italos admirationi maxime fuerit."

DANIEL GERDES, *Hist. Evang.* caet. pag. 13, hanc laudem AGRICOLAE tribuit:

« Eorum vero, qui ex nostris hominibus in *Germani-* « *am* praeclaras literarum merces ex *Italiâ*, tamquam « ex emporio quodam, importarunt, primus ferme fuit « RUDOLPHUS AGRICOLA dictus Frisius, in cujus « natalibus *Groninganus* ager merito gloriatur. Is « enim, uti magnum sibi in literis paravit nomen, ita « *Ferrariam* et *Lutetiam* profectus tantos fecit in lin- « guâ Graecâ progressus, ut cum GUARINO solutâ ora- « tione, cum STOZZIO carmine, cum GAZA in Philo- « sophiâ contenderet et, quod Germanis semper difficil- « limum fuit, Italis non adeo de Germanis magnifice

« sentientibus in Graecornm et Latinorum auctorum « enarratione admirationem moverit."

Quid, quaeso, magnificentius, quid majus, quid gloriosius AGRICOLAE contingere posset, quam tot tantaque summorum virorum testimonia?

Mihi quidem haec omnia sufficiunt. Qui plura requirunt, adeant PH. MELANCHTHON. *orationem de vitâ* AGRICOLAE *declam.* Tom. II; AUBERTUM MIRAEUM *auctuarium de scriptt. Eccless.* SUFFRIDUM PETRUM *descriptt. Fris.;* MEINERS *Lebensbeschreibungen berühmter Männer aus den Zeiten der Wiederherstellung der Wissenschaften;* NICERON *Nachrichten von berühmter Männer.* SCHULTET *Annal. Evang.* MELCH. ADAM *in vitis philosophorum.* BRUCKER *Hist. Philos.* Tom. IV. Idem *Ehren tempel* init. JAC. ALTING. MORNAEUM aliosque.



ERRATA.

Praef.	pag. 9,	lin. 24,	*pendat*	legatur	*pendeat.*
	» 11,	» 5,	*eos*	»	*iis.*
Orat.	» 15,	» 15,	*lectivaverat*	»	*lectitaverat.*
	» 26,	» 19,	*arrepuit*	»	*arripuit.*

Caetera errata ipse benevolus lector corrigat.

